VITA [illegible]

Digitized by Google

QUÆSTIONES PHILOSOPHICÆ PER CONCLUSIONES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

Deciſæ.

Quas in Alma Cæſarea, Regiáque Univerſitate Pragenſi

SUB RECTORATU

Prænobilis, Clariſſimi, & Co[n]ſultiſſimi Viri

Domini JOANNIS HENRICI TURBA, J. U. Doct. Sac: Cæſ: Reg: Maj: Conſiliarij: Sacrorum Canonum Pro feſſoris Regij Publici & Ordinarij: Clariſſimæ Facultatis Juridicæ Senioris: Venerabilis Archi-Epiſcopalis Conſiſtorij Pragenſis Aſſeſſoris: In Inclyto Bohemiæ Regno Regij Fiſci Adjuncti & Advocati Jurati: Sacri Melitenſis Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani Prioratûs Bohemici Cancellarij, nec non Univerſitatis Carolo-Ferdin: Pragenſis p. t.

RECTORIS MAGNIFICI.

Præſide Reverendo ac Doctiſſimo Patre

MAXIMILIANO WIETROWSKY S. JESU, AA. LL. & Phil: Doctore, ejuſdémq; in eadem Univ. Profeſſore Publico ac Ordinario.

In Magna Aula Univerſitatis Carolo-Ferdinandea

Pro Suprema Laurea Magiſterij Philoſophici publicè defendendas ſuſcepit:

Eruditus D. FRANCISCUS LECHNER, Boëmus Plſnenſis, AA. LL. & Phil: Baccalaureus ex Seminario S. Wenceslai.

Anno 1697. Menſe Die Horis meridiem conſvetis.

Pragæ, Typis Univ: Car: Ferd: in Coll: Soc: JESU ad S. Clem.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 A
20

everendiſſimo ac Celſiſſimo

PRINCIPI
DOMINO DOMINO

JOANNI PHILIPPO

S.R.I. Principi Epiſcopo Paſſavienſi, Comiti de Lamberg, Libero Baroni in Orttenegg & Or-tenſtein, &c. &c. Sac: Cæſ: Majeſt: Conſiliario Intimo & Actuali, ad Sereniſſimam Rempublicam Poloniæ

LEGATO EXTRAORDINARIO.

Domino Dom: ac Principi ſuo Clementiſſimo.

DEDICATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NOn ità pridem eſt, Princeps Celſiſsime, & Antiſtes Reverendiſſime, quòd alienas in terras Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris LEOPOLDI ad Rempublicam Polonicam Legatus diſceſſeris, & viam mihi o-

minem præſtruxeris, quominus ſubmiſſiſſima devotione mea, unà cum Philoſophia mea Celſitudinem Tuam conſectari poſſim, utpote quæ Nominis Tui præſentiſſimam claritatem potiùs imploret, quàm benevolæ umbram protectionis. Neque enim audacem imitari placet Prometheum, qui alienas in regiones invectus, è Claritatis Tuæ fonte deſumptum, ſplendorem transfundam, & lucidiſſima quadam anima, emortuam ſinè præſidio Tuo Philoſo-

phiam

phiam meam vivificem, cùm interim, ſi ſub ſplendidiſſima protectionis Tuæ umbra quieſcere liceat, non procul mihi peregrinari neceſſe ſit. Umbram etenim claritatis Tuæ ad nos uſque tantò ſpargis uberiùs, quantò propinquiùs aureo Planetarum Principi accedis; dum in celeberrimo Legatorum imprimis à coronatis Capitibus ſubmiſſorum, Regni deinde Poloniæ Procerum concilio, totidem velut inter Stellas, ſolis inſtar emines, & hoc ipſo, quòd

à no-

à nobis longiùs abſis, propenſa tamen in Tibi devotos voluntate gratioſiſſimæ Protectionis Tuæ umbram ampliſſimè diffundis. Sub hac Clementiſſima umbra ſi benevolis influxibus Tuis Lauream ex Univerſa Philoſophia ſub Celſitudinis Tuæ tutela propugnata, tuóque unicè honori conſecrata excreſcere ſinis, virebit illa quidem in ſpem ad Te confugere volentium, Clementiæ verò Tuæ apud poſteros celebrandæ ſpon-

ſpondebit immortalitatem; meæ denique erga Celſitudinem Tuam obſervantiæ & devotionis teſtabitur perennitatem.

Ità Celſitudinem Tuam Reverendiſſimam

Devotiſſima reverentiſſimáq; inclinatione veneratur

Humillimus ſervus & Cliens infimus.

Franciſcus Lechner Boëmus Pilſnenſis.

Digitized by Google

Google

PARS I.
EX LOGICA.
QUÆSTIO I.
An Logica ſit Scientia ex fine intrinſeco practica?

VIdetur, quòd non. Primò enim, idem eſt finis inſtrumenti, & habitûs, cujus inſtrumentum eſt; atqui Logica eſt inſtrumentum Scientiarum; ergo idem Scientiarum, & illius finis: ſubſumo; atqui ſcientiarum finis eſt ſcire: ergo & Logicæ: ergo Logica eſt purè ſpeculativa.

2. Logica plurimos actus habet deductos

ctos ex præmiſſis evidentibus, ergo ſecundum plurimos actus eſt ſcientia. Ergo implicat, ut ex fine intrinſeco ſit practica. Prob: Conſeq. Implicat ut aliquis actus ſcientificus tendat in opus intrinſecè: ergo implicat ut Logica ex fine intrinſeco ſit practica. Ant: prob: Omnis actus ſcientificus eſt Concluſio; Ergo ut concluſio attingit cauſam ſuam. Ergo ſi actus ſcientificus eſt practicus reſpectu ſui objecti, quod attingit, eſt prior ſuâ cauſâ; quod repugnat. Ergo &c.

3. Scientia quæ pro objecto habet veritatem, eſt ſimpliciter ſpeculativa. Sed Logica habet pro objecto veritatem; ergo eſt ſimpliciter ſpeculativa.

Reſp: Dicendum: Logica ex fine intrinſeco eſt practica. Ita omnes in hac Univerſitate Pragenſi Profeſſores. Prob: 1. Illa ſcientia ex fine ſuo intrinſeco, eſt practica, quæ habet ex fine ſuo intrinſeco, ſive ex intentione propria praxim pro objecto, ſive opus operabile. Atqui Logica habet ex fine ſuo intrinſeco praxim pro objecto, ſive opus operabile; dirigit enim ad rectas cognitiones; ergo ex fine ſuo intrinſeco eſt practica.

Conf:

Conf: 1. Illa facultas eſt practica, cujus finis intrinſecus eſt faciendum opus; atqui Logicæ finis eſt faciendum opus: ergo Logica ex fine intrinſeco eſt practica. Maj: patet ex Ariſtotele. 2. Metaph: cap: 1. Et Divo Thoma Part: 1. Q. 14. art. 16. min. prob: Logica præſcribit regulas pro faciendis rectis cognitionibus; atqui recta cognitio eſt praxis, & opus. Ergo Logicæ finis eſt opus. Conf: 2. & explicatur argumentum. Illa Facultas ex fine intrinſeco eſt practica, quæ ex fine intrinſeco ordinatur ad praxim, ſed Logica ex fine intrinſeco ordinatur ad praxim, Ergo Logica ex fine intrinſeco eſt practica. Prob: Mi: Logica ex fine intrinſeco ordinatur ad faciendas definitiones, diviſiones, & argumentationes; ſed illæ ſunt praxis. Ergo Logica ex fine intrinſeco ordinatur ad praxim. &c.

Ad 1. ergo argumentum contrarium. Reſp: diſtinguendo Majorem. Idem eſt finis inſtrumenti, vel intrinſecus, vel extrinſecus, qui eſt finis habitûs Con: Maj. Idem eſt finis inſtrumenti ſemper intrinſecus, qui eſt finis habitûs. N. Maj: Quando una pars

permodum inſtrumenti deſervit alteri, tunc ars inſtrumentalis præter finem ſuum intrinſecum habet pro fine intrinſeco etiam illum finem, quem ars principalis pro fine intrinſeco habet.

Ad 2. Reſp: Diſt: Conſ: ergo Logica eſt Scientia, ſimul tamen ars, Con: Conſ: tantùm Scientia, N. Conſ: Diſt: ſimiliter ultimum Conſ: ergo implicat ut Logica, in quantum eſt præcisè ſcientia, & ex ſola ratione ſcientiæ ſit practica Con: Conſ: ut ſit practica, in quantum eſt ars, & ex ratione artis N. Conſ:

Ad 3. Reſp: Diſt: Maj: Illa ſcientia &c. quæ pro omni fine ſuo habet veritatem Con: Maj: quæ pro aliquo fine habet veritatem, pro alio autem opus, N. Maj: Reſp: poteſt ſecundò, Diſt: Maj: Scientia, quæ habet pro objecto veritatem præcisè contemplandam Con: Maj: Veritatem regulabilem, & conformiter ad regulas eliciendam, N. Maj: Similiter diſtincta Mi. N. Conſ.

QUÆSTIO II.

An Logica ſit neceſſaria ſimpliciter ad alias Scientias?

VIdetur, quod ſic: Primò enim, Ad perfectam ſcientiam requiritur, ut cognoſcatur res per cauſam certò, & evidenter; tum ex parte materiæ, objecti certitudinem cognoſcendo; tum ex parte formæ, cognoſcendo certitudinem formæ in hac figura, & in hoc modo; hoc eſt, ut certus ſit intellectus & de bonitate Conſequentis, & de bonitate Conſequentiæ. Atqui certitudo de bonitate conſequentiæ non poteſt haberi ſinè Logica. Ergo illa eſt neceſſaria. Maj: eſt certa ex Ariſtotele lib: 1. poſt. cap 2. Mi: prob. Quia hæc certitudo non poteſt haberi per naturalē logicā; quia logica naturalis nullam dat intellectui regulam congenitam, per quam poſſit judicare immediatè de bonitate Conſequentiæ. Ergo &c.

Secundò. Quia ad acquirendas ſcientias neceſſaria eſt ſimpliciter demonſtratio & infallibilis de demonſtratione notitia; ſed hæc

haberi nequit ſinè artificiali Logica: ergo &c. Maj: probatur. Ut quis verè ſciat debet eſſe certus, quòd habeat concluſionem evidentem; ſed hoc non poteſt ſcire, niſi habeat notitiam de demonſtratione: ergo &c. Min: etiam primi Syllogiſmi probatur. Non poteſt fieri certum judicium de bonitate artefacti logici ſinè logica; atqui demonſtratio eſt artefactum logicum: ergo &c. Accedit Authoritas S. Auguſtini lib. 3. contra Acad: cap. 18. dicentis. Dialectica eſt unica ſcientiarum ſcientia & via. & lib. 2. de Ord: cap. 13. Clauſâ logicâ omnes ſcientiæ clauſæ ſunt, & logica docet docere, docet diſcere, hæc ſola ſcientes facit.

Sed Reſp: Dicendum, Logica Artificialis, ſive habitualis, ſive Actualis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias perfectas acquirendas. Prob: primò. Quoad logicam habitualem. Nulla logica habitualis eſt ipſa potentia phyſica, & tribuens ipſum poſſe ad ſcientias acquirendas, ſed eſt ſolùm facilitas potentiæ. Atqui facilitas potentiæ non eſt neceſſaria ſimpliciter: ergo &c. Ma: conſtat. Quia ſolus habitus ſupernaturalis

ralis habet hoc, quòd ſit, non ſolùm facilitas, verùm etiam potentia ad actus ſupernaturales. Mi: prob: ſi facilitas potentiæ eſſet neceſſaria ſimpliciter ad alias ſcientias acquirendas, aliæ ſcientiæ non poſſent abſolutè acquiri abſque facilitate, atqui ſcientiæ aliæ poſſunt acquiri abſque facilitate, ùt patet, ergo &c.

Probatur ſecundò quoad logicam actualem. Poteſt unus actus logicus comparari ſinè alio prævio actu: ergo etiam ſcientiæ aliæ poterunt comparari ſinè prævio actu logicæ. Probatur Tertiò. Illud non eſt ſimpliciter neceſſarium ad aliquem finem, ſinè quo abſolutè obtineri & comparari poteſt ille finis: ſed ſinè logica artificiali actuali obtineri & comparari poſſunt abſolutè aliæ ſcientiæ perfectæ: ergo &c. Maj: eſt evidens. Mi, etiam ſatis mannifeſta. Experientia enim conſtat homines præſtantis ingenij alias ſcientias perfectas ſibi comparâſſe ſolius logicæ naturalis ductu.

Ad primum ergo Reſp: primò. Omiſſa Majori Diſt: Min: certitudo de bonitate Conſequentiæ non poteſt haberi ſinè logica

naturali Con: Mi: non poteſt haberi ſinè logica Artificiali N. Min: & Con: ad prob: Min: N. An: & ipſi adjunctam Cauſalem. Intellectus enim cum logica naturali habet ſibi congenitam ſufficientem regulam, nimirum prima principia per ſe nota, per quæ dijudicare immediatè poteſt, de Bonitate Conſequentiæ: quæ regula naturalis eſt longè certior, evidentior atq; tutior, quàm quælibet regula logicæ artificialis. Reſp: ſecundo. N. 2. partem Maj. neque enim forma ſyllogiſtica artificialis, neque cognitio reflexa de Bonitate Conſequentiæ neceſſaria eſt ad perfectam ſcientiam; ſed ad hoc ut intellectus ſit perfectè ſciens, ſufficit quòd habeat cognitionem certam & evidentem rei per cauſam neceſſariam: quamvis reflexè & in actu ſignato hoc non cognoſcat, ſed ſolùm in actu exercito.

Ad 2. Reſp: primò. N. Mi. Conſtat enim ex Ariſtotele qui in ſuis demonſtrationibus vix aliquando adhibet formam ſyllogiſticam demonſtrationis, adeoque neceſſaria non eſt logica artificialis. Ad Prob: Diſt: Ma: non poteſt fieri certum Judicium de Bonitate

artefacti logici ſine logica vel artificiali vel naturali Concedo Maj: ſine Logica Artificiali N. Maj. Reſp: ſecundò, Negando Maj: Prob: Diſt: Maj: debet eſſe certus in actu ſignato & reflexè N. Ma: in actu Exercito & directè Con: Ma: & diſtincta Min: N. Conſ. Ad authoritatem S. Auguſtini dicendum; quòd S. Doctor loquitur de Logica Naturali, non verò de Artificiali.

QUÆSTIO III.

An detur Univerſale à parte rei?

VIdetur quòd ſic. Primò enim Intellectus noſter cognoſcit Univerſalia; Ergo Univerſelia ſunt objectum intellectûs; atqui objectum eſt ante cognitionem quâ cognoſcitur, ergo Univerſale eſt ante cognitionem. Ergò à parte rei.

Secundò. Quæ non differunt in natura, quatenus non differunt, habent principium unitatis formalis, ſed Petrus & Paulus non differunt in natura. Ergo habent principium unitatis formalis in natura, quatenus non differunt.

 Ter-

Tertiò. Eſſentia humana à parte rei eſt principium conveniendi: Ergo à parte rei eſt communicabilis pluribus; conſequenter univerſalis. Conſ: Prob: ſi eſſet à parte rei incommunicabilis alteri, non eſſet principium conveniendi. Ergo &c.

Reſpondeo Dicendum. Nullum univerſale datur à parte rei. Probatur primò. Unum & multum opponuntur ſibi contrariè: ſed univerſale eſt unum & multum: Ergo ſi daretur, opponeretur ſibi contrariè. Sed hoc quod opponitur ſibi contrariè, etiam virtualiter & conſecutivè opponitur ſibi contradictoriè: Ergo &c. Et Conſ: Si daretur à parte rei univerſale, illud vel eſſet natura aliqua ſeparata ab individuis, vel natura aliqua contracta ad individua. Sed neutrum dici poteſt. Ergo nullum datur univerſale à parte rei. Prob: Min: quoad primam partem. Fundamentũ eorũ qui aſſerunt univerſale dari à parte rei eſt falſum; Ergo & id quod deducitur ex illo. Prob: An: Objecta nõ ſunt ſic in ſe ſicut ſunt in ſenſibus. Ergo longè minùs ſic ſunt in ſe, ſicut ſunt in intellectu. Prob:

Prob: quoad ſecundam partem Min: primi ſyllogiſmi. Contractio tollit aliquid neceſſarium ad univerſale, nimirum aptitudinem ad plura, quia eſt determinatio ad unum. Ergo &c.

Conf: Implicat ut una eſſentia à parte rei ſit una & multa. Atqui hoc requiritur ad univerſale formaliter ſumptum. Ergo implicat univerſale formaliter ſumptum dari à parte rei. Prob: Ma: Unum & multum opponuntur ſibi contrariè nam unum excludit multiplicitatem, & hæc viciſſim ſingularitatem. Ergo &c.

Probatur ſecundò. Omnis natura à parte rei indentificatur ſingularibus Ergo eſt ſingularis, & redditur incommunicabilis pluribus. Ergo cùm natura identificatur ſingularibus, eſt ſingularis & redditur incommunicabilis pluribus. Ergo non eſt una apta ineſſe multis, & conſequenter nec univerſalis.

Ad 1. ergo Reſp: Diſt: ſubſumptam Min: Objectum materialiter ſumptū, ſeu id, quod denominatur objectum eſt ante cognitionem Conſ: ſubſum: Objectum formaliter ſum-

ſumptum, ſeu id quod denominat; forma ſcilicet, eſt ante cognitionem N. ſubſ: Ipſa cognitio cauſat objectum formaliter quia eſt ipſa forma denominans objectum id, quod priùs erat tantum objicibile.

Ad 2. Reſp: Diſt: Ma. Quæ non differunt in natura, id eſt, quæ non ſunt diſtincta in natura, habent principium unitatis formalis Con: Ma: Quæ non differunt, id eſt, quæ non ſunt diſſimilia N. Ma. Sed Petrus & Paulus non differunt, id eſt non ſunt diſtincti N. Mi: id eſt, non ſunt diſſimiles in natura Con: Mi: & N. Conſ: Unitas autem ſimilitudinis non ſufficit ad univerſale, ſed præbet tantùm intellectui fundamentum, ut poſſit utriuſque prædicata eſſentialia concipere uno conceptu ſpecifico; ſimilia enim non ſunt unum & multum in eadem ratione.

Ad 3. Reſp: Diſt: Ant: Eſſentia à parte rei eſt principium conveniendi convenientiâ ſimilitudinis Con: Ant: Convenientiâ identitatis N. Ant: Eſſentia Petri & Pauli nō eſt eadem in utroque, ſed tantum ſimilis, & ex hoc ipſo quòd ſit ſimilis, ſequitur illam

eſſe

eſſe numericè diſtinctam, quia ſimilitudo dicit Relationem; Relatio verò affert diſtinctionem, cùm nihil ſibi ipſi poſſit eſſe ſimile, ergo &c.

QUÆSTIO IV.

An Univerſale dum prædicatur retineat ſuam Univerſalitatem?

Videtur quòd non. Primò enim in actu Judicij natura non eſt ſeparata à differentijs, ſed prædicatio eſt actus Judicij; Ergo in prædicatione natura non eſt ſeparata à differentijs. Atqui ſi natura non eſt ſeparata à differentijs, non eſt univerſalis; Ergo in prædicatione natura non eſt univerſalis. Prob: Ma: Actus judicij indiviſibiliter repræſentat ſubjectum & prædicatum. Ergo in prædicatione natura non eſt ſeparata à differentijs.

Secundò. Quia illud prædicatur de inferi-

ſerioribus,quod cum illis realiter identiſicatur. Sed univerſale non identificatur cum inferioribus realiter, alias Petrus eſſet realiter univerſalis. Ergo nec prædicatur univerſale de inferioribus.

Tertiò. Nam ſi intellectus diſtinctè concipiat individuum hominis, deſtruit Univerſale: Sed in hac prædicatione, *Petrus eſt homo*, intellectus diſtinctè concipit individuum hominis nempe Petrum; Ergo in illa deſtruit univerſale.

Reſpondeo quæſtionem decidendam eſſe affirmativè, Prob: primò. Illud quiſque terminus prædicat,quod ſignificat; atqui ly *Homo* ſignificat naturam humanam abſque particulari aliqua ratione. Ergo prædicat naturam humanam abſque particulari aliqua ratione. Ergo ex parte prædicati dum dico, *Petrus eſt homo*, ſic repræſentatur natura, ut non concipiatur ſingularitas. Prob: Mi: *Homo* eſt terminus communis & poteſt dici de pluribus. Atqui non poſſet dici de pluribus ſi naturam ſignificaret cum aliqua ratione particulari. Ergo &c. Conf: Iſta eſt prædicatio actualis, *ſortes eſt Homo*; ſed in hac præ-

prædicatione ly *homo* eſt univerſale: Ergo in actuali prædicatione manet univerſale. Prob: Mi: Ly *homo* eſt abſtractum ab individuatione; Ergo eſt univerſale. Prob. Ant: Iſte terminus *homo* ſignificat naturam humanam abſque omni participatione & particulari ratione. Ergo &c.

Probatur ſecundò Concluſio. Univerſale dum actu prædicatur non fit ſingulare, ergo uon amittit univerſalitatem. Probatur Ant: Non habet principium deſtructivum univerſalitatis, ergo non fit ſingulare. Ant: probatur. Si eſſet aliquod principium deſtructivum eſſet prædicatio judicativa, ſed hæc non eſt; Ergo nullum. Minor patebit ex objectionibus ſolutis.

Probatur tertiò. Juxta omnes dantur prædicationes univerſales. Atqui non darentur, ſi in prædicatione actuali deſtrueretur univerſale; quia prædicatio quæ habet objectum ſingulare non eſt univerſale. Ergo &c.

Ad primum ergo Reſp: Neg. Maj: Ad Prob: Diſt: Ant: Actus judicij indiviſibiliter repræſentat, hoc eſt, ipſe actus eſt indiviſi-

viſibilis Con: Ant: ipſum objectum eſt & repræſentatur indiviſibile N. Ant:

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Ma: Illud prædicatur de inferioribus quoad verificationem, quod cum illis realiter identificatur Con: Ma: Illud prædicatur de inferioribus quoad repræſentationem, quod cum illis realiter identificatur N. Ma.

Ad tertium Reſp: Diſt: Maj: Si intellelectus diſtinctè ex parte prædicati concipiat individuum deſtruitur univerſale ex parte prædicati Con: Ma: ſi diſtinctè concipiat individuum ex parte ſubjecti non tamen ex parte prædicati, tunc deſtruitur univerſale ex parte prædicati N. Ma: & diſtincta Min: Neg: Con:

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An prædicabile ùt ſic dividatur in 5. prædicabilia tanquam Genus univocum in ſpecies?

VIdetur quòd non. Primò enim, Ratio *prædicabilis* ùt ſic non participatur æqualiter ab omnibus ſpeciebus; ſed verum Genus debet participari æqualiter ab omnibus ſpeciebus. Ergo *prædicabile* ùt ſic non eſt verum Genus. Prob: Ma; Genus de pluribus dicitur quàm ſpecies; atqui *de pluribus dici*, eſt ratio *prædicabilis*: ergo ratio *prædicabilis* non participatur æqualiter ab omnibus ſpeciebus. Ergo &c.

Secundò. Subſtantia & accidens non poſſunt habere Genus univocum; atqui aliqua prædicabilia ſunt ſubſtantiæ, & aliqua ſunt accidētia. Ergo omnia prædicabilia ſimul ſumpta non poſſunt habere genus univocū.

Tertiò. Si prædicabile eſt Genus ad 5. prædicabilia, ergo ſingula prædicabilia ſunt ſpecies; atqui Genus nullius Generis poteſt eſſe ſpecies. Ergo &c.

Repondeo Dicendum. *Prædicabile* dividitur in 5. prædicabilia tanquam genus univocum in ſpecies. Probatur primò: Illud eſt genus univocum, quod dicitur eodem nomine & ratione de pluribus ſpecie differentibus in quid. Sed *prædicabile* ùt ſic de quinque prædicabilibus non aliter dicitur; ergo *prædicabile* ùt ſic, reſpectu quinque prædicabilium eſt genus univocum. Prob: Mi: Convenit enim omnibus quinque prædicabilibus univocè; ùt inductione facta omnium prædicabilium patet. Ergo &c.

Probatur ſecundò. Homo & brutum conveniunt in ratione animalis, quia utrumque eſt verè animal, & animal eſt genus. Ergo cùm prædicabilia pariter conveniant in ratione *prædicabilis*, *prædicabile* erit genus reſpectu illorum.

Probatur tertiò. Genus, ſpecies ac per *prædicabile* tanquam Genus, definiuntur. Ergo utrique eſſentialiter & univocè convenit genus; Definitio enim univocè debet convenire definito.

Ad primum ergo Reſp: N. Ma. Ad Prob: Con: Ma: & Mi: Neg: Conſ: Ratio eſt quia

de

de pluribus dici aliter in Mi: aliter accipitur in Ma: inMi: enim accipitur comparativè,faciẽdo comparationẽ unius univerſalis prædicabilis in ſpecie, cum altero prædicabili in ſpecie; in Mi: autem ſumitur abſque tali comparatione.

Ad ſecundum Reſp. Omiſſa Ma: utpote controverſa Diſt: Mi: Aliqua prædicabilia materialiter ſumpta ſunt ſubſtantiæ; & aliqua accidentia, Con: Mi: formaliter ſumpta, N. Mi: & Conſ.

Ad tertium Reſp: Diſt: ſeq: Ant: ſingula prædicabilia erunt ejus ſpecies prædicabiles N. ſeq: Maj: ſingula prædicabilia erunt ejus ſpecies ſubjicibilesCon:ſeq:Ma: Atqui genus non poteſt eſſe ullius generis ſpecies ſubjicibilis Neg: Mi: ſpecies prædicabilis Con: Mi: Sic animal reſpectu hominis eſt genus, reſpectu verò viventis, eſt ſpecies ſubjicibilis.

QUÆSTIO VI.

An ſpecies Creata immultiplicabilis poſsit eſſe univerſale.

Videtur quòd ſic. Primò enim individuum Angeli eſt in prædicamento; ſed non immediatè ſub genere. Ergo ſub ſpecie; ſed ſpecies eſt ſuperior reſpectu illius individui; Ergo eſt univerſalis. Min: ſubſ: Prob: Talis ſpecies non prædicatur de individuo tanquam æquale de æquali. Ergo &c.

Secundò. Dum concipio Eſſentiam humanam, concipio exigentiam ſingularitatis, & tamen perfectè præſcindo eſſentiam humanam à ſingularitate; Ergo etiam dum concipio eſſentiam Angelicam, licèt concipiam exigentiam ſingularitatis, tamen perfectè illam præſcindo à ſingularitate.

Tertiò. Univerſale Metaphyſicum eſt unum aptum ineſſe multis. Atqui eſſentia Michaëlis quantum eſt ex ſe poteſt eſſe in multis. Ergo &c. Mi; Prob; Quòd eſſentia Mi-

Michaëlis defactò non poſſit eſſe in multis, hoc ſe tantùm tenet ex parte individuorum impoſſibilium.

Reſpondeo dicendum. Species creata immultiplicabilis non poteſt eſſe univerſale. Probatur primò. Ad univerſale juxta omnes requiritur multiplicitas & unitas ejus eſſentiæ, quæ dicitur univerſalis. Atqui ſpecies immultiplicabilis non habet eſſentiæ multiplicitatem. Ergo impoſſibile eſt ſpeciem creatam immultiplicabilem, eſſe univerſale.

Probatur ſecundò. Implicat ut eſſentia verè prædicetur de multis, ſi multa ſint impoſſibilia: Ergo implicat, ut ſpecies immultiplicabilis ſit univerſale. Ant: Prob. Quia talis prædicatio eſſet falſa. Ergo &c.

Probatur tertiò. Illa natura non poteſt eſſe univerſale, quæ non poteſt perfectè præſcindi ab omni ſingularitate; ſed natura eſſentialiter immultiplicabilis non poteſt perfectè præſcindi ab omni ſingularitate. Ergo natura immultiplicabilis non poteſt eſſe univerſale. Ma: patet. Mi: Prob: Singularitas radicalis eſſentialiter identificatur naturæ eſſentialiter immultiplicabili. Ergo &c.

 Ant:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ant: probatur. Natura, quæ eſſentialiter eſt immultiplicabilis, eſſentialiter exigit hanc ſui immultiplicationem. Ergo ex eſſentia ſua petit eſſe ſingularis. Ergo illa exigentia ſingularitatis cum ipſa identificatur eſſentialiter. Sed talis exigentia ſingularitatis eſt ipſa ſingularitas radicalis. Ergo &c.

Ad primum ergo Reſp: conceſſo toto ſyllogiſmo N. ſubſ: Mi. Ad Prob: N. Ant: Prædicatur enim ſpecies Angelica de individuis, ſicut eſſentia de ſua proprietate v. g. homo de riſibili. Atqui hæc non eſt ſuperior; ſed æqualis. Ergo &c.

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Ant: Dum concipio eſſentiam humanam concipio exigentiā ſingularitatis indeterminatæ, Omitto Ant. Concipio exigentiam humanam ſingularitatis determinatæ Neg. Ant: Natura humana poteſt vel per hanc vel per illam ſingularitatem contrahi, & dicit in ſuo conceptu eſſentiali indifferentiam ad omnes ſingularitates. Ergo dùm concipio eſſentiam humanam, nullam in ejus conceptu exigentiam ſingularitatis determinatæ concipio. At verò natura ſpecifica v. g. Michaëlis non

non poteſt alibi eſſe niſi in Michaële; Ergo dicit eſſentialem exigentiam hujus tantùm ſingularitatis.

Ad tertium Reſp: Con: Ma: N. Mi: Ad Prob: N. Ant: Quia juxta adverſarios natura ſpecifica Michaëlis eſt eſſentialiter ſingularis: Ergo eſt eſſentialiter immultiplicabilis: Ergo intrinſecam dicit repugnantiam ad eſſe in multis.

QUÆSTIO VII.

An Veritas formalis ſit adæquatè intrinſeca actui vero.

VIdetur quòd ſic. Primò enim, Veritas formalis eſt Relatio; atqui omnis Relatio eſt adæquatè intrinſeca fundamento, ùt probatū manet alibi de Relatione: ergo veritas eſt adæquatè intrinſeca fundamento, ſeu actui.

Secundò. Quia nullum Ens reſpectivum conſtituitur intrinſecè per terminum, quem

reſpicit tanquam per partem eſſentialem; atqui veritas eſt ens reſpectivum connotans objectum ſic ſe habens à parte rei, ùt actus dicit: Ergo &c.

Tertio. Quia objectum eſt menſura actûs veri: atqui menſura non eſt pars menſurati, ulna non eſt pars panni. Ergo neque objectum erit pars actûs. Prob: Mi: Menſura debet diſtingvi à menſurato. Ergo &c.

Reſpondeo Dicendum. Veritas formalis non eſt adæquatè intrinſeca actui vero. Prob. primò. Veritas formalis deſumitur ab actu & objecto. Ergo non eſt intrinſeca adæquatè ſoli actui vero. Prob: Ant. Ab eo, quòd res eſt vel non eſt, propoſitio vera vel falſa eſt. Ergo veritas formalis deſumitur ab actu & objecto. Conſ: patet.

Prob: ſecundò. Veritas formalis eſt conformitas propoſitionis cum objecto; ſed conformitas propoſitionis cũ objecto eſt partim intrinſeca, partim extrinſeca actui. Ergo Veritas formalis eſt partim intrinſeca partim extrinſeca actui. Prob: Mi: Conformitas iſta in ſuo formali cõceptu affert duo, propoſitionẽ

&c.

& ſic ſe habentiam objecti; ſed ſic ſe habentia objecti eſt aliquid extrinſecum ipſi actui ſeu propoſitioni; eſt enim realiter identificata cum objecto. Ergo &c.

Probatur tertiò. Veritas propoſitionis eſt Relatio ſimilitudinis prædicamentalis inter propoſitionem & objectum; ſed ſimilitudo eſſentialiter conſtituitur per utrumque extremum. Ergo veritas actûs conſtituatur ex actu & objecto, & non conſiſtit in ſolo actu. Atqui objectum eſt quid extrinſecum actui. Ergo denominatio veritatis non eſt adæquatè intrinſeca actui vero.

Ad primum ergo Reſp: Con: Maj: N. Min: cujus oppoſitũ demonſtrabimus in Metaphyſica, ubi de Relatione agemus.

Ad ſecundum Reſp: Con: Maj. N. Min: Veritas enim eſt Relatio, ſed Relatio non eſt ens reſpectivum; ergo veritas non eſt ens reſpectivum. Maj: eſt certa, & admittitur ab adverſarijs, Mi: probabitur in Quæſt. de Relatione.

Ad tertium Reſp: Con: Maj. Diſt: Min: Menſura non eſt pars menſurati entitativè & ſpecificativè ſumpti Con: Min. Non eſt

pars menſurati formaliter & reduplicativè accepti N. Min: & Conſ: Ad Prob: Diſt: Ant: Menſura debet diſtingvi à menſurato ſpecificativè ſumpto Con: Min. à menſurato reduplicativè ſumpto N. Ant. Sicut repugnat Metaphyſicè complexum hoc; *pannus menſuratus ulnâ*, dari totum abſque ulna menſurante ùt conſtitutivo illius denominationis ſeu complexi, ità impoſſibile Metaphyſicè eſt hoc complexum, *actus verus*, ſeu *actus conformis objecto*, darj abſque objecto ùt conſtitutivo illius denominationis & complexi.

QUÆSTIO VIII.

An idem actus poſſit eſſe ſimul verus & falſus.

Videtur quòd ſic. Primò enim iſte actus: *mea cogitatio, quam nunc habeo eſt falſa*, eſt ſimul verus & falſus; Ergo datur actus, qui ſimul ſit verus & falſus. Prob: Ant: Iſte

actus

actus vel eſt verus vel falſus; utroque enim carere nullus actus poteſt; ſed quidquid dicatur, hoc ipſo erit verus & falſus. Ergo. Mi: Prob: Si dicatur quòd ſit verus; infertur: ergo verè affirmat de ſe, quòd ſit falſus; ergo eſt ſimul verus & falſus; ſi autem dicatur quòd ſit falſus; infertur: Ergo eſt verus; quia expreſsè affirmat ſe eſſe falſum. Ergo ſimul verus & falſus eſt.

Secundò. Poteſt idem actus eſſe practicus & ſpeculativus: Ergo etiam poteſt eſſe verus & falſus ſimul.

Tertiò. Dicat Petrus Romæ, *Paulus hic currit*, & revera Paulus Romæ currat, iſte actus erit verus: ſi verò tunc Petrus cum ſuo actu replicetur & dicat Pragæ, *Paulus hic currit*, erit falſus. Ergo idem actus poteſt eſſe ſimul verus & falſus.

Reſp: Dicendum, quòd idem actus non poteſt eſſe ſimul verus & falſus. Prob: primò. Ideo actus eſt verus, quia objectum ſic ſe habet, ſicut actus enunciat; & ideo eſt falſus, quia objectum non ſic ſe habet, ſicut actus enunciat. Atqui unum objectum non poteſt ſimul ſe ſic habere & non ſic ſe habere: ergo &c. Pro-

Probatur ſecundò. Ut aliquis actus ſit verus & falſus, objectum verificationis debet ſe ſic habere, & non ſic ſe habere, ſicut actus enunciat; ſed implicat ut objectum ſimul ità ſe habeat & non ità ſe habeat, ſicut actus enunciat: ergo &c. Prob. ſeqv: Ma: Veritas dicit ſic ſe habentiam objecti, falſitas dicit non ſic ſe habentiam objecti. Ergo &c.

Ad 1. Objectionem Reſp: talem actum eſſe impoſſibilem, omnéſq; actus hujuſmodi, qui ſupra ſe ſignatè reflexi ſunt. Ratio eſt, quia actus reflexus quà reflexus, eſt ſpeculativus; atqui omnis actus ſpeculativus ſupponit ſuum objectum. Ergo & iſte. Atqui habet ſeipſum pro objecto: Ergo ſupponit ſeipſum. Ergo eſt prior ſeipſo; quod repugnat.

Ad ſecundam. Reſp: Con: Ant: N. Conſ: Diſp: aſſignatur, quia veritas eſt æqualitas, falſitas verò inæqualitas cum objecto; omnis autem æqualitas excludit inæqualitatem. Ergo & veritas falſitatem. Practicum autem & ſpeculativum ſe non excludunt, ſunt enim differentiæ ſolùm diſparatæ.

tæ. Deinde actus practicus & ſpeculativus habet duplex objectum.

Ad tertiam, Reſp: ejuſmodi propoſitionem in dicto caſu fore tantùm falſam, ut enim propoſitio ſit vera, debet eſſe tota m_ verum illud, quod talis propoſitio enunciat; Ergo & illud debet eſſe verum quod talis propoſitio materialiter affirmat. Atqui in dicto caſu falſum eſſet, quod illa materialiter affirmat. Ergo &c. Probatur ſubſumpta Mi: Illa propoſitio materialiter affirmat curſum Petri, qui ſimul & ſemel ſit Pragæ & Romæ; ſed hoc falſum eſt. Ergo &c.

QUÆSTIO IX.

An aliquis actus poſſit de vero tranſire in falſum, & viciſſim?

Videtur quòd non. Nam primò, Si idem actus poſſet tranſire de vero in falſum_ mu-

mutaret ſuum objectum. Atqui actus non poteſt mutare objectum. Ergo. Prob: Ma: Aliud repræſentaret actus, quando eſt verus & aliud, quando eſt falſus. Ergo &c.

Secundò. Hæc propoſitio, *Petrus nunc currit*, vel affirmat quòd Petrus currat toto tempore, quo durat propoſitio; vel tantum aliqua parte temporis, non determinando illam; vel quòd currat aliqua parte determinata temporis; alius enim non ſupereſt ſenſus; ſed implicat ut actus ſic ſignificans tempus tranſeat de vero in falſum. Ergo &c.

Tertiò. Non poteſt idem actus voluntatis tranſire de bono in malum. Ergo nec actus intellectûs de vero in falſum.

Reſpondeo Dicendum: Poteſt aliquis actus de vero tranſire in falſum & viciſſim. Probatur hæc Concluſio primò. Authoritate Ariſtotelis & D. Thomæ. Ariſtoteles in Categorijs de Subſtantia ſic loquitur: Si quis verum putet aliquem ſedere, ſurgente illo, falſum putabit, eandem de ipſo opinionem habens. Idem docet D. Thomas. Par: 1. Q. 14. Art: 15. ad 3.

Pro-

Probatur ſecundò eadem Concluſio, ratione: Poteſt aliquis actus repræſentare tempus præſens abſque individuatione præſentis temporis. Atqui talis actus poteſt ex vero fieri falſus. Ergo &c. Probatur Ma: Tempus præſens poteſt præſcindi perfectè ab individuatione. Ergo poteſt aliquis actus repræſentare tempus præſens abſque individuatione ipſius. Prob: Ant: Individuatio temporis non eſt formaliter idem cum tempore. Ergo &c. Prob: Min: primi Syllogiſmi: Iſte actus v. g. *Petrus currit*, poteſt continuari per ſemihoram, & Petrus poteſt primo quadrante currere, ſecundò quadrante non currere; quo caſu à Petro ponibili, fieri, ut actus currente Petro ſit verus, non currente verò ſit falſus. Ergo &c.

Probatur tertiò. Poteſt manere idem omninò actus, & non manere idem objectum verificativum actûs. Ergo tali caſu actus tranſit de vero in falſum, vel viciſſim. Ant: probatur ſimiliter, ſicut ſuperiùs. Ma: probata manet.

Ad primum ergo Reſp: Diſt: Ma. Actus ſi tranſiret de vero in falſum, mutaret objectum

ctum, quod ſignificat materialiter & per accidens Con: Ma: quod ſignificat per ſe & formaliter N. Ma. & ſimiliter diſtincta Mi: N. Conſ: Ad Prob: Diſt: Ant: Actus dum eſt verus repræſentat aliud materialiter Con: Ant. repræſentat aliud formaliter N. Ant:

Ad ſecundum Reſp: N. Ma: nam ſupereſt quartus ſenſus nempe præciſivus & univerſalis, in quo ly *nunc* præſcinditur ab omni hæcceitate temporis.

Ad tertium Reſp: Con: Ant: N. Conſ: Diſpar: eſt, quia malitia & bonitas moralis neceſſario conveniunt actibus voluntatis; veritas autem & falſitas nonnullis actibus intellectûs convenit contingenter, & illi actus de objecto contingenti ex veris poſſunt mutari in falſos. Æque enim contingens eſt bonitas moralis actui bono, atque ab eo ſeparabilis, ac veritas eſt contingens actui vero, ab eáque ſeparabilis.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

An detur determinata Veritas de futuris Contingentibus tum abſolutis tum conditionatis?

VIdetur quòd non. Primò. Quia nullus actus eſt determinatè verus niſi cujus objectum eſt determinatum. Atqui futurum contingens non eſt determinatum. Ergo actus de futuro contingenti non eſt determinatè verus. Prob: Mi: Objectum futurum contingens ex ipſa definitione ſua eſt indeterminatum ac indifferens ad eſſe vel non eſſe. Ergo &c.

Secundò. Paries non poteſt eſſe albus nunc per albedinem, quæ futura eſt. Ergo neque actus poteſt eſſe verus nunc, per objectum, quod futurum eſt.

Tertiò. Petrus eſt liber, habétque potentiam ut poſſit cràs peccare vel non peccare; ergo hodie non eſt determinatè vera propoſitio.

Reſp: Dicendum. Datur determinata

veritas de futuris contingentibus tum abſolutis tum conditionatis. Probatur primò. Illa propoſitio eſt determinatè vera vel falſa, quæ ſuo objecto eſt determinatè conformis vel difformis, ſed tales ſunt propoſitiones de futuris contingentibus. Ergo &c. Min: Prob. Illa propoſitio eſt determinatè conformis ſuo objecto, cujus objectum ità ſe habet in tempore affirmato, ſicut propoſitio illud affirmat. Sed v. g. in hac, *Petrus cras peccabit*, ità ſe habet objectum in tempore ſignifiato ſicuti hæc propoſitio, *Petrus peccabit* affirmat. Ergo &c.

Probatur ſecundò. Eo inſtanti, quo Petrus peccat, determinatè verum eſt dicere, *Petrus peccat*; ergo ſi aliquis priùs reſpectu ejuſdem temporis dixiſſet, *Petrus peccabit*, propoſitio fuiſſet determinatè vera. Prob: Conſ: Prorſus idem affirmatur per copulam verbi ſignificantis tempus præſens; ergo ſicut una eſt determinatè vera, ità poterat eſſe & altera. *Ab eo enim quòd res eſt vel non eſt, propoſitio vera vel falſa eſt.*

Probatur tertiò. DEUS per ſuam omnipotentiam, determinatè cognoſcit futura con-

contingentia, cùm illa determinatè revelet. Ergo determinatè cognoſcit an v. g. Petrus peccabit. Ponamus ergo, quòd illum viderit liberè peccaturum, & dicat, *Petrus peccabit*; hic actus habet determinatam veritatem. Ergo etiam ſi homo eliciat ſimilem actum nunc, ille actus habet determinatam veritatem. Probatur Conſ: Quiſcunque dicat hunc actum, *Petrus peccabit*, determinatè per illum affirmat, peccatum Petri, quòd verè erit pro ſua differentia temporis. Ergo&c.

Ad primum Reſp: Con: Maj: Diſt: Mi: futurum contingens non eſt determinatum ex ſuppoſitione antecedente determinationem cauſæ liberæ Cō: Min: Non eſt determinatum ex ſuppoſitione conſequente determinationem cauſæ liberæ N. Min. Similiter Diſt:reliqua & N. Conſ:

Ad ſecundum Reſp: Con: Ant: N. Conſ: Diſpar: eſt.Quia albedo conſtituit album per rationem Phyſicam; actus autem denominatur verus per hoc, quòd res in tempore ſignificato ità ſe habeat ſicut actus affirmat.

Ad tertium Reſp: Con: Ant: Diſ: Conſ: Non eſt determinatè vera independenter à

ſuppoſitione liberæ determinationis Con: Conſ: dependenter ab hac, qua ſe Petrus determinat ad peccatum N. Conſ:

QUÆSTIO XI.

An præmiſſæ bene diſpoſitæ conceſſæ, neceſſitent intellectum ad Exercitium Concluſionis?

Videtur quòd non. Quia primò, Nemo tenetur aſſentiri bis eidem objecto. Ergo nemo tenetur aſſentiri Concluſioni poſtquam aſſenſus eſt præmiſſis; objectum enim præmiſſarum & Concluſionis idem eſt.

Secundò. Ex eo, quòd intellectus ſit aſſenſus magis notis, non tenetur aſſentiri minus notis, ſed Concluſio eſt minùs nota quàm præmiſſæ. Ergo ex eo, quòd aſſenſus ſit præmiſſis non tenetur aſſentiri Concluſioni.

Tertiò. Si intellectus neceſſariò determina-

minaretur ad aſſenſum Conclofionis quoad Exercitium, tunc ſuperfluus eſt habitus inclinans ad aſſenſum Concluſionis: ſed non eſt ſuperfluus. Ergo &c.

Reſp: Dicendũ, quòd præmiſſæ evidentes, bene diſpoſitæ conceſſæ, neceſſitẽt intellectũ ad exercitium Concluſionis. Prob: primò. Non poteſt voluntas impedire aſſenſum veri evidentis: ſed ſi poſſet impedire aſſenſum Concluſionis poſſet impedire aſſenſum veri evidentis. Ergo &c. Ma: Prob: Omnis potentia intentionalis neceſſariò & inimpedibiliter movetur à ſuo objecto puro ac ſufficienter propoſito. Sed verum evidens eſt purum objectum intellectûs; cùm nulla in eo appareat falſitas, & nulla oriatur ſuſpicio; Ergo non poteſt voluntas impedire intellectum ab aſſenſu veri evidentis. Min: Primi Syllogiſmi Probatur Quando præmiſſæ ſunt evidentes etiam Concluſio eſt evidens; ergo ſi voluntas impediret aſſenſum talis Concluſionis, impediret aſſenſum veri evidentis.

Probatur ſecundò. Cauſa neceſſaria habitis omnibus ad agendum requiſitis, ne-

ceſſarò agit. Atqui intellectus eſt cauſa neceſſaria, & poſito aſſenſu præmiſſarum habet omnia requiſita ad inferendam Concluſionem; ergo non poteſt illam omittere.

Probatur tertiò. Quando objectum evidenter proponitur intellectui benè diſpoſito, per ſe neceſſariò elicit cognitionem, non minùs, quàm oculus benè diſpoſitus objecti vicini viſionem. Atqui dato aſſenſu præmiſſarum evidentium, quo judicavit evidenter, duo eſſe eadem uni tertio, proponitur illi evidenter identitas. Ergo &c.

Ad primum Reſp: Diſt: Ant: Nemo tenetur bis aſſentiri eidem objecto & eodem modo propoſito Con: Ant: alio modo propoſito N. Ant: In præmiſſis tantùm ponitur implicitè identitas duorum inter ſe; in Concluſione autem proponitur explicitè.

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Maj: Ex eo quòd intellectus ſit aſſenſus magìs notis, non tenetur aſſentiri minùs notis, ſi magìs nota non ſint evidenter connexa cum minùs notis Con. Maj: ſi ſint N. Ma: & Con: Min: N. Conſ:

Ad tertium ReſpondeoDiſt:Ma: ſeq: eſt ſu-

ſuperfluus ad inclinandum intellectum Con: ſeq: Ma: eſt ſuperfluus ad adjuvandum intellectum in modo operandi N. ſeq: Ma: & Con: Mi: N. Conſ:

QUÆSTIO XII.

An in eodem intellectu poſſit componi ſcientia cum opinione circa idem objectum?

VIdetur quòd non. Primò, quia implicat ut intellectus ſimul judicet vera eſſe duo contradictoria; atqui hoc judicaret, ſi ſtaret ſcientia & opinio de eodem in eodem intellectu. Ergo &c. Prob: ſeq: Mi: Per actum ſcientiæ judicaret intellectus, quòd objectum non poſſit aliter ſe habere; per actum opinionis judicaret, quòd idem objectum poſſit ſe aliter habere; atqui hæc ſunt contradictoria. Ergo &c.

Secundò. Motivum evidens ſcientiæ cum opinione compoſitum, vel influit in opini-

pinionem vel non; ſi non, ergo intellectus actu formidabit, ſicut formidaret, ſi non adeſſet ſcientia; ſi influit; ergo ille actus non eſt opinio, quia non nititur ſolo motivo probabili.

Tertiò. Actus nitens motivo probabili cognoſcit illud ut fallibile. Ergo formaliter & actu formidat. Prob. Conſ. Actus nitens aliquô motivô probabili ſequitur proportionaliter naturam ſui motivi; ſed motivum eſt fallibile & fluctuans. Ergo & actus erit fallibilis & fluctuans.

Reſpondeo Dicendum ad quæſtionem: Poteſt. Probatur primò. Actus opinionis non opponitur actui ſcientiæ contradictoriè; non formaliter nec virtualiter. Ergo poſſunt componi in eodem intellectum circa idem objectum materiale. Conſ. Poteſt idem objectum cognoſci ſimul cognitione imperfecta & perfecta; v. g. cognitione apprehenſiva, quæ eſt imperfecta, & cognitione judicativa, quæ eſt perfecta; item poteſt etiam ſimul cognoſci cognitione abſtractiva, quæ eſt imperfecta, & cognitione intuitiva perfecta. Ergo &c.

Pro-

Probatur ſecundò: Opinio non contrariatur ſcientiæ: Ergo poſſunt componi in eodem intellectu. Prob: Ant: ex D. Thoma, qui Par: 3. q. 2. Art: 3. ad 2. ait: Opinio eſt diſpoſitio ad ſcientiam; ſed diſpoſitio non eſt contraria formæ; ſic calor in ligno exiſtens antequam inflammetur, non eſt contrarius igni. Ergo &c.

Probatur tertiò. Iſti actus nullam habent oppoſitionem. Ergo &c. Ant: Prob: non opponuntur ſibi ratione objecti materialis, cùm hoc ſit idem; idem autẽ ſibi non opponitur; nec ſibi opponuntur ex objecto formali, nam iſtorum actuum motiva non ſunt oppoſita: nec etiam eſt oppoſitio ex parte potentiæ intellectivæ, quia hæc eſt capax quorumlibet actuum; nec ipſi actus ſibi opponuntur, ratione quantitatis aut qualitatis: nec etiam contradictoriè aut contrariè, quia contraria ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant. Ergo iſti actus nullam habent oppoſitionem.

Ad primum ergo Reſp: Con: Maj: N. Min: Ad Prob: nego ſecundam partem Ma: Nam ad opinionem ſufficit formido radica-

 lis

lis, ſicut ad ſcientiam non requiritur, ut ſemper actu & reflexè ſciam me ſcire. Reſp: ſecundò Diſt: ſecundam partem Ma: per actum opinionis judicaret, quòd idem objectum poſſit ſe aliter habere in ſenſu diviſo ſcientiæ Con: Ma: in ſenſu compoſito ſcientiæ Nego. Ma.

Ad ſecundum Reſp: non influere motivum evidens in opinionem, ſed tantùm intellectum impedit, quo minùs formidet actu.

Ad tertium Reſp: Diſt: Ant: Actus reflexus ſupra motivum cognoſcit illud ùt fallibile Con: Ant: Actus directus opinionis N. Ant: & Conſ: Ad Prob: Conſ: Diſt: Ma: ſequitur naturam ſui motivi ùt cogniti; & ùt illud proponitur intellectui Con: Ma: Semper ſequitur naturam ſui motivi ùt motivum eſt in ſe N. Ma: Sæpe motivum in ſe eſt infallibile; quia tamen intellectus illud ſæpe non apprehendit, ùt infallibile; ideo nec actus eſt infallibilis.

PARS

PARS II.
EX PHYSICA.
QUÆSTIO XIII.
An Materia prima habeat propriam exiſtentiam?

Videtur quòd non. Primò enim Materia prima eſt pura potentia. Ergo exiſtit per exiſtentiam formæ; Ergo non habet propriam exiſtentiam. Prob: Conſ: Per formam eſt materia in actu; atqui in tantum exiſtit unumquodque, in quantum eſt in actu. Ergo etiam Materia in tantum exiſtit, in quantum eſt in actu. Ergo ratione formæ exiſtit.

Secun-

Secundò. Si cauſa Paſſiva ſeu materialis cauſaret tanquam exiſtens, tunc materia priùs eſſet in actu ſeu haberet actum, quàm reciperet actum primum. Atqui hoc eſt impoſſibile; eſſet enim actus primus ante actum primum. Ergo &c.

Tertiò. Si materia prima perſeipſam exiſteret, eſſet perſeipſam Ens; ergo materia perſeipſam eſſet ſubſtantia: ſed quidquid ſupervenit ſubſtantiæ eſt accidens. Ergo forma ſubſtantialis eſſet accidens. Ergo &c.

Reſpondeo Dicendum: Materia prima habet propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ. Probatur primò. Eſſentia materiæ primæ pro priori ad formam eſt producta & poſita extra cauſam efficientem (non enim eſt nihil); atqui eſt impoſſibile produci & extra cauſam efficientem poni eſſentiam materiæ, & non poni exiſtentiam mteriæ; ergo pro priori ad formam eſt exiſtentia materiæ. Ergo materia prima habet propriam exiſtentiam ante formam. Maj: eſt Thomiſtarum. Min: Prob: Eſſe productum eſt eſſe extra cauſas, ſed implicat eſſentiam eſſe extra cauſas & exiſtentiam illius

non

non eſſe extra cauſas cùm eſſentia non diſtingvatur realiter ab exiſtentia ùt hic ſupponimus. Ergo &c.

Probatur ſecundò. Si materia exiſteret exiſtentiâ formæ, ſequeretur toties corrumpi materiam quoties amittit formam, & toties produci, quoties recipit novam formam, ſed hoc eſt falſum. Ergo &c. Prob: ſeq: Maj: Tunc res interit & corrumpitur quando ceſſat exiſtere ſive quando perdit exiſtentiam; & tunc producitur quando incipit exiſtere; atqui ſi materia exiſteret per exiſtentiam formæ tunc quoties amitteret formam toties perderet exiſtentiam. Ergo &c.

Probatur tertiò. Materia prima habet eſſentiam diſtinctam ab eſſentia formæ; ergo etiam exiſtentiam. Prob: Conſ: Diſtinctis eſſentijs neceſſariò correſpondet diſtincta exiſtentia, tanquam ultimum illarum complementum. Ergo &c.

Reſp: ad primum Diſt: Ant: Materia prima eſt pura potentia phyſica Con: Ant: eſt pura potentia logica N. Ant: & Conſ: Probationis Diſt. Maj: Per formam eſt Materia in actu phyſico Con: Ma: eſt in actu Entitativo

tivo Neg: Maj: & Min: Diſt. Atqui in tantum unumquodque exiſtit, in quantum eſt in actu vel Phyſico vel Entitativo Con: Min: in quantum eſt in actu tantùm Phyſico Neg: Min: & Conſ:

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Maj: priùs haberet Materia actum exiſtentiæ, quàm actum primum informantem ſe, & in genere ſubſtantiæ complentem, qui ordine dignitatis & intentionis naturæ eſt primus Con: Maj: priùs haberet actum exiſtentiæ, quàm actũ Entitativum in genere ſubſtantiæ incompletum, & ſolo ordine executionis, primum, N. Maj: & Diſtinctâ Min: N. Conſ.

Ad tertium Reſp: Diſt: Ant: eſſet Ens ſecundùm quid Cõ: Ant: Ens ſimpliciter N. Ant: & Diſt: Conſ: eſſet ſubſtantia ſecundùm quid & incompletè Cõ: Conſ: ſimpliciter & completè N. Conſ: & Diſt: ſubſumptum Ant: Quidquid ſupervenit ſubſtantiæ completæ eſt accidens Con: ſubſ: Ant: quidquid ſupervenit ſubſtãtiæ incompletæ eſt accidens N. ſubſ: Ant: & Conſ:

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

An Materia prima ſit potentia & appetitus ad omnes formas etiam inæquales & corruptas?

VIdetur quòd non. Primò enim juxta S. Thomam 1.p. qu: 10. art. 1. in ☉ inclinatio ſequitur formam. Atqui appetitus innatus materiæ eſt inclinatio: Ergo appetitus innatus materiæ ſequitur formam. Ergo non eſt idem cum eſſentia materiæ.

Secundò. Appetitus eſt propenſio in bonum: Ergo quo bonum eſt majus, eò major eſt propenſio ſeu appetitus erga formam nobiliorem.

Tertiò. Forma corrupta non poteſt naturaliter reproduci; atqui non datur appetitus naturalis ad id, quod naturaliter nequit reproduci. Ergo non datur appetitus naturalis ad formas corruptas.

Reſpondeo Dicendum. Materia prima eſt potentia & appetitus ad omnes formas etiam inæquales ac corruptas.

Pro-

Probatur primò. Materia eſt potentia paſſiva & receptiva formæ; atqui eſſe potentiam paſſivam & receptivam formæ eſt ordinari ad formam tanquam ad bonum & actum ſuum, adeóque tanquam ad finem. Ergo Materia prima eſt ordinata ſeu potiùs ordinatio ad formam tanquam ad finem. Atqui ordinatio eſt eppetitus innatus. Ergo &c. Probatur etiam ex eodem, quòd hic appetitus ſit æqualis ad omnes formas. Materia enim appetit formas ſub ratione actûs ſubſtantialis. Atqui in hoc ſunt omnes formæ æquales. Ergo æqualiter omnes appetit.

Probatur ſecundò. Materia pima ſinè prævia cognitione ex ſola naturali proportione inclinatur ad formas, tanquam ad bonum & perfectivum ſui. Ergo habet appetitum innatum. Quòd autem hic appetitus non ſit diſtinctus, Probatur: Si appetitus innatus eſſet aliquid ſuperadditum eſſentiæ materiæ, vel ipſe appeteretur à materia per alium appetitum, vel non. Si ità, ibimus in infinitum; ſi non: Ergo nec eſt opus diſtincto ab eſſentia materiæ appetitu ad formas cæteras. Probatur etiam quòd ſit

æqua-

æqualis. Appetitus materiæ eſt indiſtinctus à materia; ſed materia non ſuſcipit magis & minùs: Ergo nec appetitus materiæ ſuſcipit magis & minùs, adeoque eſt æqualis ad omnes formas inæquales.

Probatur tertiò de formis corruptis. Reſpectu cujuſcunq; formæ materia prima poteſt eſſe potentia Phyſica receptiva, hoc appetit. Atqui reſpectu formarum jam corruptarum materia prima poteſt eſſe potentia Phyſica reſpectivâ, ſi videlicet tales formæ divinitus reproducantur. Ergo materia prima appetit, ſeu habet appetitum innatum etiam ad formas corruptas.

Ad primum igitur Reſp: Diſp: Ma: Inclinatio ad agendum ſequitur formam Con: Maj: Inclinatio ad patiendum ſeu recipiendum Neg: Maj: & diſtincta ſimiliter Mi: N. Conſ:

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Conſ: quò majus eſt bonum, eò major eſt appetitus elicitus, tranſeat Conſ: eò major eſt appetitus innatus N. Conſ: Dixi tranſeat: Nam DEUS eſt ſummum bonum, & tamen appetitu ... D ... eli-

elicito cum ſæpe remiſſiùs appetimus, quàm bonum aliquod creatum.

Ad tertium Reſp: Con: Ma: Diſt: Min: Non datur appetitus naturalis ſimpliciter ad id, quod naturaliter nequit reproduci Con. Maj: non datur appetitus naturalis ſecundùm quid ad id, quod naturaliter non poteſt reproduci Neg: Min: & Conſ:

QUÆSTIO XV.

An unio diſtingvatur ab extremis?

VIdetur quòd non. Primò. Quia per illud aliquid eſt unum per quod eſt ens. Atqui Materia per formam eſt Ens. Ergo & unum.

Secundò. Si daretur unio in compoſito diſtincta, ex materia & forma fieret unum ens per accidens. Sed hoc dici non poteſt. Ergo unio in compoſito non eſt diſtincta. Probatur ſeq: Maj: Non unirentur

tur immediatè partes, ſed interjectâ unione. Ergo &c.

Tertiò. Per illud res habet unitatem compoſiti, per quod habet eſſe compoſiti, ſed materia per formam habet eſſe compoſiti; Ergo per formam habet unitatem compoſiti. Ergo non eſt opus unione diſtinctâ. Prob: Min: Forma per ſe & per ſuam eſſentiam eſt actus & ratio ſpeciei ſive eſſentiæ completæ. Ergo &c.

Reſpondeo Dicendum. Unio diſtingvitur realiter ab extremis. Prob: primò. Materia ſecundùm ſe eſt indifferens ad recipiendam quamvis formam, eſt enim ſubjectum commune formarum ſubſtantialium. Sed quod eſt intrinſecè indifferens, ut ſubſtantialiter uniatur vel formæ A. vel formæ B. indiget formâ determinante realiter diſtinctâ; Ergo Materia prima indiget formâ realiter diſtinctâ ad hoc ut uniatur formæ. Sed hæc forma eſt unio: Ergo unio eſt diſtincta.

Probatur ſecundò, Illa diſtingvuntur realiter, quæ ità ſeparari poſſunt à ſe, ut unum maneat altero pereunte. Atqui extrema compoſiti poſſunt ab unione ſeparari, ut per-

 eun-

eunte unione maneant; ſic in homine materia remanet & anima, unione deperdita. Ergo unio eſt diſtincta realiter ab extremis.

Probatur tertiò. Quando generatur homo, generatur aliquid ſubſtantiale, quia generatio hominis eſt ſubſtantialis. Sed non generatur materia, aut anima rationalis, hæ enim ſunt ingenerabiles; ergo generatur ſola unio; ſed quod generatur ſecundùm ſe, diſtingvitur ab eo, quod non generatur. Ergo unio ſecundùm ſe diſtingvitur à materia & anima.

Ad primum Reſp: Diſt: Maj: per illud aliquid eſt unum unitate identitatis per quod eſt ens Con: Maj: per illud aliquid eſt unum unitate compoſitionis, per quod eſt ens. Neg: Maj: & Diſt: Min: Materia prima per formam eſt ens completum & compoſitum Neg: Min: eſt eſt ens incompletum & non compoſitum, Con: Min: & Conſequentiam.

Ad ſecundum Reſp: Nego Majorem. Ad Probationem Diſt: Ant: non unirentur immediatè ùt actus & potentia Nego Antecedens, ùt ratio uniendi Con: Ant: & Neg: Conſ:

Ad

Ad tertium Reſp: Concedo Maj: Diſt: Min: Materia habet eſſe compoſiti per formam unitam Concedo Min: per formam ſecundum ſe ſumptam N. Min: & ſimiliter Diſtingvo Conſequens & Probationem Minoris.

QUÆSTIO XVI.

An totum diſtingvatur à ſuis partibus?

Videtur quòd ſic. Nam primò. Totum compoſitum eſt unum per ſe, & partes ſimul unitæ ſunt multæ, atqui unum & multum diſtingvuntur realiter. Ergo &c.

Secundò. Multæ denominationes conveniunt toti, quæ non conveniunt partibus ſimul ſumptis. Ergo totum eſt realiter diſtinctum à partibus ſimul ſumptis. Prob: Ant: Totum generatur & corrumpitur, partes ſimul ſumptæ nec generantur nec componuntur. Totum conſtituitur ex partibus,

partes ſimul ſumptæ non conſtituuntur ex partibus. Ergo &c.

Tertiò. Cauſa & effectus diſtingvuntur realiter, ſed materia & forma ſunt cauſa totius, quod eſt effectus. Ergo diſtingvuntur à toto realiter.

Reſpondeo Dicendum. Totum non diſtingvitur à ſuis partibus ſimul ſumptis.

Probatur primò. Si totum diſtingveretur realiter à partibus omnibus ſimul ſumptis, & ut unitis, vel diſtingveretur realiter adæquatè & totaliter, vel tantùm inadæquatè; adæquatè non, quia illa tantùm diſtingvuntur adæquatè, quorum neutrum eſt pars alterius nec includitur in illo. Atqui partes includuntur in toto. Ergo &c. Inadæquatè etiam non; quia ſi totum diſtingveretur realiter inadæquatè ab omnibus partibus ſimul ſumptis, debet totum includere aliquam partem præter omnes partes ſimul ſumpas. Atqui implicat ut totum includat aliquam partem præter omnes partes ſimul ſumptas. Ergo implicat totum diſtingvi realiter etiam inadæquatè ab omnibus partibus ſimul ſumptis.

Pro-

Probatur ſecundò. Partes ſimul ſumptæ ſunt ens, atqui non ſunt ens ſimplex, ergo ſunt ens compoſitum. Ergo non diſtingvuntur à compoſito. Nam ens compoſitum non diſtingvitur ab ente compoſito.

Probatur tertiò. Illa forma totalitatis quam Scotiſtæ admittunt, vel conſtituit intrinſecè totum compoſitum; vel non conſtituit: Si conſtituit; ergo eſt pars conſtitutiva compoſiti; ergo vel compoſitum adhuc diſtingvitur realiter ab illa forma totalitatis ùt cum cæteris partibus ſumpta, & ſic procedetur in infinitum; quia rurſus aliâ formâ totalitatis opus eſt, de qua redibit eadem Quæſtio. Vel non diſtingvitur realiter, & ſic habetur intentum; ſi verò illa forma totalitatis non conſtituit intrinſecè compoſitum, ergo habetur totum compoſitum intrinſecè conſtitutum ſinè forma totalitatis ſuperaddita.

Ad primum Reſp: Diſt: ſecundam partem Maj: partes ſimul ſumptæ ſpecificativè acceptæ, ſeu quæ unitæ, ſunt multa; Concedo Majorem. Reduplicativè acceptæ

& quà unitæ, ſunt multa Neg: Maj: & diſtincta Minori Neg. Conſ.

Ad ſecundum Reſp: Diſtingvo Antec: Multæ denominationes conveniunt toti, quæ non conveniunt partibus ſimul ſumptis, ſi ſumantur ùt plures Concedo Antec: Si ſumantur ùt unum Nego Ant: & ſimiliter Diſt: Probationem.

Ad tertium Reſp: Concedo Majorē, ſed Diſtingvo Minorem: Materia & forma ſunt cauſa totius ſeorſim & diſtributivè ſumpta Concedo Minorem, collectivè ſumpta Nego Minorem & Diſtincto Conſequenti N: & Concedo Conſequentiam.

QUÆ-

QUÆSTIO XVII.

An Materia prima ſit cauſa extrinſeca formæ, & intrinſeca Compoſiti?

Videtur quòd non. Primò. Quia cauſa eſt perfectior effectu, atqui materia non eſt perfectior formâ. Ergo materia non eſt cauſa formæ.

Secundò. Materia eſt cauſa ùt ſubjectum; ſed materia eſt formæ ſubjectum, non compoſiti, ergo materia prima non eſt cauſa compoſiti.

Tertiò. Si materia prima eſſet cauſa compoſiti cauſaret ſeipſam; ſed non cauſat ſeipſam; ergo non eſt cauſa compoſiti. Prob: Maj: Compoſitum conſtituitur ex materia. Ergo ſi cauſat compoſitum, cauſat etiam ſeipſam.

Reſpondeo Dicendum: Materia prima eſt cauſa extrinſeca formæ, intrinſeca compoſiti. Probatur primò. Materiæ reſpectu formæ convenit definitio cauſæ materialis,

Ergo forma eſt effectus cauſæ materialis. Probatur Antecedens. Forma materialis educitur ex potentia materiæ. Ergo &c. Probadur ſecunda pars Concluſionis: Cauſa materialis eſt id, ex quo fit aliquid cùm inſit. Atqui cauſa materialis propriè ineſt compoſito: Ergo effectus cauſæ materialis eſt compoſitum.

Probatur ſecundò. Cauſa materialis formæ eſt id à quo ſuſtentatur forma in ſuo eſſe; ſed forma in ſuo eſſe ſuſtentatur à materia. Ergo cauſa materialis formæ eſt materia. Minor probatur. Omnis forma præter animam rationalem, eſt talis forma, ad cujus eſſe concurrit phyſicè materia, ità ut materia recipiat formam, & forma recepta inhæreat materiæ; ſed formam inhærere materiæ eſt formam ſuſtentari, ſeu cauſari phyſicè à materia. Ergo &c.

Probatur tertiò. Illud eſt effectus cauſæ materialis intrinſecæ, quod ipſa conſtituit; ſed ipſa conſtituit totum compoſitum, non verò formam; ergo effectus cauſæ materialis intrinſecæ eſt ipſum compoſitum, & non forma.

Ad

Ad primum ergo Reſp: Diſtingvo Majorem. Cauſa in quantum cauſa eſt, ſeu ſumpta reduplicativè eſt perfectior effectu Concedo Majorem. Cauſa in entitate ſua, ſeu entitativè accepta eſt perfectior effectu Nego Majorem. Similiter Diſtingvo Minorem, & Nego Conſ.

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Maj: Materia eſt cauſa ùt ſubjectum vel componens vel ſuſtentans Con: Maj: præcisè tantùm ùt ſuſtentans Nego Maj: & Diſt: Min: Materia eſt formæ ſubjectum Con: Min: componens Negò Min: & Conſ.

Ad tertium Reſpondeo Diſt: Majorem. Si materia prima eſſet cauſa compoſiti adæquatè ſumpti cauſaret ſeipſam Con: Majorem. Si eſſet cauſa compoſiti inadæquatè ſumpti, Nego Maj: & Con: Min: Diſtingvo ſimiliter Conſ: Ad Prob: Similiter Diſt: Conſequens, & Nego ac Concedo Conſequentiam.

QUÆ-

QUÆSTIO XVIII.

An forma ſit cauſa intrinſeca compoſiti? & Materia?

Videtur quòd forma ſit cauſa extrinſeca compoſiti; & intrinſeca materiæ. Primò enim, ſi forma eſſet cauſa totius compoſiti eſſet naturâ prior ad compoſitum; ſed in terminis repugnat formam eſſe naturâ priorem ad compoſitum. Ergo forma non eſt cauſa compoſiti. Major: patet. Nam omnis cauſa eſt naturâ prior ad ſuum effectum. Ergo &c. Minor: etiam probatur. Nam eſſe pro priori naturæ nihil aliud eſt, quàm ex parte actûs primi præſupponi ad effectum; ſed repugnat formam præſupponi ad compoſitum, cùm repugnet cauſam formalem exiſtere ſinè ſuo effectu formali. Ergo &c.

Secundò. Contra ſecundam partem. Materia cùm ſit infinitarum formarum, determinatur per formam, & per eam conſequitur aliquam ſpeciem. Atqui quod materiæ

teriæ ſe comunicat, illam determinat, actuat, tribuit eſſe ſpecificum, & eſt illi ratio quidditatis, illud eſt cauſa formalis reſpectu materiæ; Ergo forma eſt cauſa formalis reſpectu materiæ.

Tertiò. Ideo materia exiſtit, quia exiſtit forma; nam ſi non exiſteret forma, non exiſteret materia. Ergo materia eſt effectus formæ, & forma eſt cauſa materiæ.

Reſpondeo Dicendum. Forma eſt cauſa intrinſeca ſolius compoſiti; & nullomodo eſt cauſa materiæ. Probatur primò. Prima pars Concluſionis. Illud eſt effectus primarius cauſæ formalis, quod eſt principaliter intentum, & ad quod ordinantur alia, atqui compoſitum eſt principaliter intentum à natura & ad illud ordinantur alia. Ergo compoſitum eſt effectus primarius cauſæ formalis.

Probatur ſecundò. Secunda pars Concluſionis. Si materia eſſet aliquomodo effectus formæ, hoc ipſo forma eſſet cauſa formalis materiæ extrinſecæ, non verò intrinſeca. Sed hoc repugnat. Ergo &c. Probo Minorem. Omnis cauſa Phyſica præſuppo-

ni-

nitur exiſtens pro priori naturæ, ſeu ex parte actûs primi ad exiſtentiam effectûs: At qui forma nullomodo poteſt præſupponi exiſtens ex parte actûs primi ad exiſtentiam materiæ, cùm potiùs materia ſupponatur exiſtens ex parte actûs primi ad formam. Ergo &c.

Probatur tertiò. In terminis repugnat idem eſſe pro priori & ſimul non eſſe pro priori naturæ reſpectu ejuſdem, ſed hoc ſequeretur niſi vera ſit Concluſio noſtra. Ergo &c. Prob. ſeq. Minoris. Eſſe cauſam eſt eſſe pro priori naturæ; & eſſe effectum eſt non eſſe pro priori naturæ; Sed ſi forma & materia eſſent ſibi mutuò cauſæ, materia quatenus eſſet cauſa formæ, eſſet pro priori, & quatenus forma eſſet cauſa materiæ & materia effectus formæ, materia non eſt pro priori, & hoc ſimul & ſemel in eodem inſtanti reali. Ergo &c.

Ad primum ergo Reſp: Nego Majorem. Prob: Diſt: Antecedens. Omnis cauſa extrinſeca eſt naturâ prior ad ſuum effectum Concedo Antecedens. Omnis cauſa intrinſeca Nego Ant. &c.

Ad

Ad ſecundum Reſp: Diſtingvo Majorem. Materia tranſitivè ſeu per unionem determinatur per formam Concedo Majorem, Materia intranſitivè ſive per identitatem & conſtitutivè determinatur per formam Nego Majorem. & ſimiliter Diſt. Minorem & Nego Conſequentiam.

Ad tertium Reſp: Diſtingvo Antecedens. Ideo materia exiſtit &c. Ly *ideo* indicante aliquod conſtitutivum intrinſecum materiæ Nego Antecedens, ly *ideo* indicante ſolam conditionem naturaliter requiſitam ad exiſtentiam materiæ Concedo Antecedens. & Nego Conſequentiam. Forma relatè ad exiſtentiam materiæ habet ſe ùt pura conditio; relatè verò ad exiſtentiam totius compoſiti, habet ſe per modum cauſæ intrinſecæ & conſtitutivæ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

QUÆ-

pellitur forma vetus, quia introducitur nova. Ergo introductio formæ novæ eſt cauſa expulſionis veteris.

Reſpondeo dicendum. Introductio formæ novæ non eſt cauſa formalis expulſionis formæ veteris. Probatur primò. Expulſio non eſt compoſitum ex ſubjecto & forma. Atqui cauſa formalis intrinſeca non datur niſi reſpectu compoſiti ex ſubjecto & forma; cùm cauſa formalis ſit ea, per quam aliquid conſtitutivè fit, tanquam per actum. Ergo nec ipſa forma nova, nec introductio formæ novæ: nec quodcunque aliud eſt cauſa formalis intrinſeca expulſionis.

Probatur ſecundò. Introductio formæ novæ eſt idem quod expulſio formæ veteris: Ergo introductio formæ non eſt cauſa expulſionis formæ veteris. Ant: patet: Nam generatio unius eſt corruptio alterius. Conſequentia eſt evidens. Cùm idem naturaliter non poſſit eſſe cauſa ſui ipſius.

Probatur tertiò. Expulſio formæ veteris vel accipitur pro ipſo non eſſe formæ veteris, vel pro actione expulſiva formæ veteris, & ſimiliter introductio. Atqui neutro

modo ſumpta expulſio formæ veteris eſt effectus introductionis formæ novæ. Ergo &c. Secunda pars Min: probata eſt argumento ſecundo; prima pars probatur. Eſſe unius & non eſſe alterius, habent ſe omninò ſimultaneè & concomitanter. Ergo &c. Prob: Ant: Expulſio formæ veteris non præſupponitur exiſtens ante formam novam, alioquin materia aliquo inſtanti exiſteret ſinè omni forma: Ergo ſe habent ſimultaneè & concomitanter.

Ad primum itaque Reſp: Omiſſa Maj: Diſt: Min: hoc ipſo excludit formas alias ſimultâneitate naturæ Con: Min: hoc ipſo excludit formas alias, prioritate aut poſterioritate aliquâ naturæ ſeu cauſalitatis Ne: Min. & Conſ:

Ad ſecundum Reſp: Con: primò Enthymem. Diſt: ſubſ: Ant: in hoc ordine perfectiora ſunt priora prioritate naturæ & cauſalitatis Neg: ſubſ: Ant: Sunt priora prioritate dignitatis Con: ſubſ: Ant: & Nego Conſequentiam.

Ad tertium Reſp: Diſt: Ant: Hæc eſt vera cauſalis, ità ut ly *ideo* importet connexio-

xionem identicam, ſeu identitatem introductionis formæ novæ cum expulſione formæ veteris Con: Ant: ità ut ly *ideo* importet veram cauſalitatem introductionis formæ novæ reſpectu expulſionis formæ veteris. N. Ant: Ly *ideo* non ſemper denotat veram cauſalitatem: ſed ſæpe importat connexionem identitatis aut ſimultatem aliquam.

QUÆSTIO XX.

An actio ſit Entitas modalis realiter diſtincta à cauſa & Effectu?

VIdetur quòd non. Primò. Nam ubi nulla eſt indifferentia, ibi non eſt opus nullo modo ſuperaddito; atqui inter cauſam ultimatè completam ad agendum & inter effectum nulla eſt indifferentia. Ergo inter cauſam & effectum non eſt opus modô ſuperadditô. Prob: Min: Cauſa non impedi-

ta & ultimatè completa ad agendum, non poteſt non agere. Et cauſa quæ per agentia extrinſeca, vel per decretum DEI, aut etiam per propriam voluntatem (ſi eſt cauſa libera) ultimatè eſt applicata ad hunc effectum, non poteſt non producere hunc effectum; Ergo &c.

Secundò. Non poteſt eidem potentiæ correſpondere duplex actus, à quo conſtituitur in actu; atqui hoc fieret, ſi daretur actio modalis ſuperaddita virtuti & potentiæ activæ. Ergo. Maj. patet. Quia potentia, cui correſpondet duplex actus, per quem conſtitueretur, in actu, eſſet in duplici ſpecie. Ergo. Min: etiam probatur. Potentia activa conſtitueretur in actu & denominaretur agens actu ab actione tranſeunte, tanquam ab aliquo denominante extrinſeco. Atqui etiam denominaretur actu agens ab actione modali intrinſecè inhærente cauſæ. Ergo &c.

Tertiò. Si principium activum eſſentialiter cauſans ponatur in rerum naturâ, tunc cauſabit effectum ſinè ullo modo ſuperaddito. Ergo etiam cauſa ab agentibus extrin-

trinſecis ultimatè determinata ad hunc effectum, agit hunc effectum ſinè actione modali ſuperaddita. Ant: eſt certum; Conſ: patet. Nam extrinſeca ultimata determinatio non minus tollit omnem indifferentiam intrinſecam cauſæ ad effectum, quàm tollat eamdem ipſa eſſentialis determinatio.

Reſpondeo dicendum: Actio eſt Entitas modalis realiter diſtincta à cauſa & effectu. Probatur primò. Quidquid independenter ab intellectu datur, & non eſt identificatum cauſæ & effectui eſt ab illis realiter diſtinctum. Sed actio datur independenter ab intellectu, neque eſt cauſæ & effectui realiter identificata; Ergo actio diſtinguitur realiter à cauſa & effectu. Min: quoad ſecundam partem probatur. Actio eſt realiter ſeparabilis ab hac cauſa & ab hoc effectu: Ergo non eſt illis realiter identificata. Prob: Ant: Poteſt eſſe v. g. ignis A. & ignis B. & tamen ignis B. non cauſari ab igne A. Ergo actio per quam ignis A producit ignem B. eſt realiter ſeparabilis ab hac cauſa & ab

hoc effectu. Ergo non eſt illis identificata. Ergo eſt diſtincta.

Probatur ſecundò. Actio artis v.g. pictoriæ diſtingvitur à pictore & imagine. Ergo etiam actiones naturæ ſunt diſtinctæ à cauſa & effectu.

Probatur tertiò. Pereunte actione manet eadem cauſa & idem effectus. Ergo actio diſtingvitur à cauſa & effectu. Ant: patet, Conſeq: probatur. Impoſſibile eſt aliquid manere idem, ſi aliquid ei identificatum pereat. Ergo ſi pereunte actione manet eadem cauſa & idem effectus, actio illis non eſt identificata. Ergo eſt diſtincta.

Ad primum ergo Reſp: Nego Min: nam cauſa creata completa, poteſt impediri ab actu ſecundo agendi à DEO; ùt certum eſt. Decretum DEI, quo cauſa creata applicatur ad agendum, debet habere pro objecto actionem ſupperadditam cauſæ: alioquin nihil haberet pro objecto diſtinctum ab entitate cauſæ, quam poterat velle, & non eoipſo velle, actuale exercitium agendi,

Ad 2. Reſp: Con: Maj: N. Min: ad ejus Prob: Con: Ma: N. Mi: agentia enim naturalia

ralia ſeu corruptiva non agunt per actionem immanentem, ſed per tranſeuntem, quæ recipitur in paſſo, non verò in agente: atque ità agens ab unica actione tranſeunte denominaretur actu agens.

Ad tertium Reſp: Con Ant: Nego Con: Diſparitas eſt, quòd principium activum eſſentialiter cauſans per eſſentiam ſuam eſſet determinatum, adeóque nullomodo eſſet indifferens ad agendum. At verò agens in actu primò determinatum ad agendum per extrinſecam ultimatam determinationem, adhuc habet indifferentiam formaliter ad agendum vel non agendum: quod etiam patet ex eo, quòd totus actus primus agendi cum tota ſua determinatione ultimata extrinſeca poſſit impediri ab agendo, ùt patet in igne babylonico.

QUÆSTIO XXI.

An idem effectus poſſit produci a à duplici cauſa totali in actu ſecundo?

VIdetur quòd non; ex triplici implicantia. Primò, ex parte cauſarum; implicat ut duo non ſint plus quàm unum, & unum non ſit minus quàm duo: Ergo implicat ut una cauſa in actu ſecundò totalis ſingillatim ſumpta tantundem cauſet, quantum duæ in actu ſecundo totales collectivè ſumptæ.

Secundò Ex parte effectûs. Talis effectus productus à duplici cauſa eſſet & non eſſet; eſſet, ùt ſupponitur: non eſſet; ùt probatur. Quia neutra actio totalis daret eſſe effectui; ergo: Prob: Ant: Actio A. non daret eſſe effectui; quia implicat ut res accipiat ab altero idem omnino, quod adæquarè & totaliter habet aliunde. Ergo repugnat eundem effectum produci à duplici cauſa totali in actu ſecundo.

Ter-

Tertiò. Ex parte actionis. Quævis actio eſſet totalis ùt ſupponitur, & ſimul non eſſet: ùt probatur: Nam actio totalis traducit effectum totaliter ex ſua potentialitate ad actum; ità ut non remaneat ampliùs effectus in potentia ad eundem actum. Ergo ſi actio A traducit totaliter effectum ex ſua potentialitate, actio totalis B non habet ullam potentialitatem, ex qua traducat eundem effectum. Ergo non eſt totalis.

Reſpodeo dicendum, quòd non repugnat eundem effectum divinitus cauſari à duabus cauſis totalibus in actu ſecundo. Probatur primò. Solutione objectionũ; quas Authores ſententiæ contrariæ deſumunt ex implicantijs, tum ex parte cauſarum, tum ex parte effectûs, tùm ex parte actionum.

Probatur ſecundò. Quòd una cauſa totalis excludat aliam, eſt tantùm effectus ſecundarius cauſæ; nam effectus primarius eſt, dare ſolùm influxum neceſſarinm ad ponendum effectum; ſed DEUS poteſt impedire effectus ſecundarios; Ergo & illam excluſionem alterius cauſæ. Ergo Divinitus poſſunt plures cauſæ ſimul & ſemel ad eundem

E 5 effe-

effectum concurrere totaliter; quo caſu quælibet illarum concurret independenter ab influxu alterius.

Probatur tertiò. Sicut Divinitus poſſunt eſſe plures formæ in eadem materia, licèt una pro ea complenda ſufficeret; ità viciſſim una forma poteſt eſſe in pluribus materijs, & conſequenter à pluribus materijs cauſari materialiter. Ergo etiam eadem forma poterit à pluribus cauſis efficientibus produci. Prob. Conſ: Eadem actio quæ eſt cauſalitas cauſæ efficientis, eſt etiam cauſalitas cauſæ materialis: Ergo ſi in poſito caſu poſſunt dari plures cauſalitates materiæ, etiam poterunt dari plures actiones totales cauſæ efficientis.

Ad primum ergo Reſp: Diſt: Ant: Implicat ut duo non ſint plus quàm unum, ut non ſint plus extenſivè Con: Ant: ut non ſint plus intenſivè Nego Ant: & ſimiliter diſticta ſecunda parte Antecedentis ac Conſ: Con: & Nego Conſ:

Ad ſecuudum Reſp: Nego ſecundam partem Antecedentis. Ad Probationem Nego Antecedens, illius probationem Diſt;

Diſtinguo Implicat ut res accipiat ab altero idem omnino, quod habet per eandem actionem, per quam jam habet Con: per diverſam actionem Nego.

Ad tertium Reſpondeo. Nego ſecundam Partem Accidentis. Ad ejus Probationem Nego ſuppoſitum, quòd omnis actio extrahat effectum ex ſua potentialitate de novo; actio enim conſervativa efficit effectum, & tamen non extrahit ex ſua potentialitate de novo. Illa ergo actio ſecunda poſſet efficere eundem effectum conſervando illum licèt eundem non extraheret de novo ex ſua potentialitate.

QUÆ-

QUÆSTIO XXII.

An Virtus cauſativa finis conſiſtat in ſola Bonitate finis?

VIdetur quòd non, Primò. Nam etiam malum poteſt habere rationem finis. Ergo ratio cauſativa finis non eſt ſola Bonitas. Probatur Antecedens: non eſſe eſt malum, ſed poteſt aliquis efficaciter deſiderare non eſſe; uti contingit in illis, qui ſe ipſos occidunt; ergo malum poteſt deſiderari; Ergo & eſſe finis.

Secundò. Finis movet ùt cognitus. Ergo cognitio movet; non bonitas finis.

Tertiò. Potentiæ verſantur circa contraria; atqui voluntas eſt potentia: Ergo verſatur circa contraria; Ergo circa bonum & malum: Ergo ſicut in actibus tendentibus in bonum, id quod movet, & bonum; ſic in actibus verſantibus circa malum ùt tale, movebit malum ſub ratione mali.

Reſpondeo dicendum. Virtus cauſativa finis conſiſtit in ſola bonitate finis, cognitio verò eſt pura conditio. Pro-

Probatur primò. Nulla potentia poteſt moveri, niſi ab objecto ſuo proprio. Atqui objectum proprium voluntatis eſt bonum; Ergo non poteſt moveri voluntas niſì à Bono. Atqui cauſa finalis cauſat movendo voluntatem tanquam cauſam efficientem, Ergo cauſat ùt bona; ergo ratio cauſativa finis, eſt bonitas finis.

Probatur tertiò. Finis ſecundùm hoc formaliter movet appetitum, ſecundùm quod poſtquam poſſidetur, ſatiat appetitum. Atqui cognitio finis non eſt id, quod poſtquam poſſidetur, ſatiat appetitum, ſed potius reddit inquietum & ſolicitum de aſſecutione finis. Ergo &c. Min: patet. Nam appetitus infirmi alicujus ſumentis Medicinam, ſanitatis procurandæ gratiâ, non ſatiatur per hoc, quòd infirmus acquiſiverit cognitionem ſanitatis, ſed per hoc quod acquiſiverit bonum ſanitatis.

Probatur tertiò. Illud eſt virtus cauſativa cauſæ finalis, quod allicit voluntatem; ſed ſola bonitas allicit voluntatem, eámque movet ad ponenda media. Ergo &c. Prob: Min: Illud allicit voluntatem, cujus obtinen-

nendi gratiâ aliquid fit, & ponuntur media; ſed hæc ponuntur bonitatis obtinendæ gratiâ; ſic æger intendit obtinere per medicinam ſanitatem; non cognitionem ſanitatis. Ergo &c.

Ad primum igitur Reſp: Nego Anteced: Nam nemo ad malum intendes operatur. Ad Prob: Diſt: Minorem. Poteſt aliquis efficaciter deſiderare non eſſe per accidens, Concedo Min: Deſiderare non eſſe, per ſe, N. Min: & Conſeq:

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Antecedens. Finis movet ùt cognitus, ità ut reduplicatio importet ſolam conditionem requiſitam ad movendum, Concedo Antecedens. Ità ut reduplicatio importet ipſam virtutem cauſativam N. Ant: & Conſ.

Ad tertium Reſp: Diſt: Maj: Potentiæ verſantur circà contraria aliquomodo Concedo Majorem, eodem modo Nego Majorem. Circà unum contrarium potentia verſatur per ſe, primò & directè, & tanquam circa proprium objectum; circa alterum verò ſecundariò & immediatè, nec tan-

quam

quam circa objectum, ſed ùt ſuo objecto oppoſitum. Ad reliqua patet reſponſio.

QUÆSTIO XXII.

An Corpora exiſtant in loco per Ubicationem diſtinctam?

Videtur quòd non. Primò, quia Poſitis ſolis extrinſecis ultimò determinativis locati ad hunc locũ, nulla amplius eſt indifferentia locati ad hunc locũ. Atqui ubi nulla eſt indifferentia ibi non eſt opus aliqua determinatione ſuperaddita indifferentiæ. Ergo corpora non exiſtunt in loco per ubicationem diſtinctam.

Secundò. Quia nulla eſt neceſſitas admittendæ ubicationis permodum ſuperadditæ alicujus entitatis locato intrinſecæ; ſed omnia æquè commodè explicari poſſunt per ſolam aliquam denominationem extrinſecam; quod probatur. Ambiens & ambitum, continens & contentum, menſurans &

& menſuratum, locans & locatum, ſunt denominationes correlativæ; adeóque impoſſibile eſt, ut hæc ſuperficies v. g. aëris ſit actu ambiens, continens, menſurans, locans, v. g. Petrum, & Petrus non denominetur actu ambitus, contentus, menſuratus, locatus. Jam verò locus fit actu ambiens ſeu locans, eo ipſo, quòd in illo ponatur aliquod corpus, vel per productionem novam, vel per adductionem, ſeu lationem, ſeu motuum localem, quo corpus fertur in certum locum.

Tertiò. Petrum eſſe hìc, eſt Petri entitati tollere negationem ſui hìc; ſed Petrus tollit negationem ſui hìc per entitatem ſuam propriam. Ergo nullâ opus eſt ubicatione realiter diſtinctâ & ſuperadditâ.

Reſpondeo dicendum. Corpora exiſtunt in loco per ubicationem diſtinctam. Prob: primò. Omnis realis motus intrinſecè inhærens ſubjecto, habet terminum realem intrinſecum diſtinctum à ſubjecto; ſed motus localis eſt motus realis intrinſecè inhærens ſubjecto; Ergo habet terminum intrinſecum & diſtinctum à ſubjecto. Ergo habet ubicatio-

cationem realem intrinſecam & diſtinctam à ſubjecto. Maj: patet: Quia omnis motus eſt eſſentialiter via ad terminum; via autem cùm nil ſit aliud quàm intrinſeca acquiſitio termini; non poteſt eſſe in alio ſubjecto, quàm in illo, in quo eſt terminus: Ergo eſt via & terminus intrinſecus ſubjecto: ſed etiam eſt diſtinctus à ſubjecto, quia nihil poteſt moveri ad ſeipſum. Ergo omnis realis motus intrinſecè inhærens ſubjecto, habet terminum realem intrinſecum diſtinctũ à ſubjecto. Mi: etiam conſtat. Motus enim localis eſt vera & realis mutatio; ſed omnis realis mutatio eſt intrinſeca ſubjecto; quia eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe formæ in ſubjecto: ergo motus localis & motus realis intrinſecè inhærens ſubjecto.

Probatur ſecundò. Poteſt eſſe Petrus & eſſe Praga, & tamen Petrus non eſſe Pragæ. Ergo Petrum eſſe Pragæ eſt aliquid diſtinctũ ab eſſe Petri & eſſe Pragæ ſecundùm ſe. Sed hoc diſtinctum eſt intrinſeca ubicatio Petri, per quam Petrus conſtituitur Pragæ. Ergo ubicatio iſta eſt diſtincta. Prob: ſubſ: Petrum eſſe Pragæ eſt Petrum dicere relatio-

nem prædicamentalem diſtantiæ ab omni ente; quod non eſt Pragæ: Sed omnis relatio prædicamentalis eſſentialiter ſupponit aliquam rationem fundandi intrinſecam fundamento remoto. Ergo & relatio diſtantiæ, ſed aliud non eſt aſſignabile niſi ubicatio. Ergo illud diſtinctum eſt ubicatio diſtincta.

Probatur tertiò. Illa diſtingvuntur realiter, quæ poſſunt ſeparari; ſed res & locus poſſunt ſeparari ab ubicatione; Poteſt enim exiſtere Petrus & exiſtere locus, & tamen Petrus non eſſe in illo loco. Ergo ubicatio eſt realiter diſtincta à re v.g. Petro, & loco extrinſeco.

Ad primum igitur Reſp: Nego Majorem. Nam omnia extrinſeca ultimatè determinativa locati ad hunc locum, poſſunt exiſtere quin locatum exiſtat in hoc loco formaliter: cùm ſolùm determinant locatum ad hunc locum in genere cauſæ efficientis, non verò in generere cauſæ formalis: Quod ſola præſtat ubicatio diſtincta.

Ad ſecundum Reſp: quòd eò ipſo quidem fiat Petrus locatus, ambitus, & contentus,

tus, quòd ſuperficies ſit continens, menſurans, locans & ambiens, cum fundamento hujus relationis menſuræ, vel propinquitatis Concedo, ſinè hoc fundamento Nego; Fundamentum autem relationis propinquitatis vel contactus eſt *ubi* intrinſecum, de cujus eſſentia eſt fundare propinquitatem, indiſtantiam vel diſtantiam &c.

Ad tertium Reſp: Nego Minorem. Nam poteſt eſſe entitas Petri, & tamen Petrus non tollere negationẽ ſui hìc; poteſt enim eſſe alibi. Ergo Petrus non tollit negationem ſui hic per ſolam ſuam entitatem, ſed opus eſt entitate diſtinctâ, quam ubicationem apel-lamus.

QUÆSTIO XXIV.

An ſit poſſibilis Replicatio?

VIdetur quòd non. Primò enim implicat idem corpus eſſe locatum & non eſſe locatum. Atqui hoc ſequeretur admiſſa replicatione. Ergo &c. Prob. Minor; quoad ſecundam partem. Ut ſit locatum locô circumſcriptivô, debet eſſe per ſe in loco adæquato. Atqui non eſſet per ſe in loco adæquato. Ergo non eſſet locatum. Prob. Min. De ratione loci adæquati eſt, ut rem locatam adæquet, ſivè definiat & determinet, adeóque ut ſit terminus adæquatus & perfectus corporis locati; atqui implicat ut locus ſit adæquatus & perfectus terminus locati, ſi locatum extra locum ſit. Ergo implicat ut locatum replicatum per ſe ſit in loco adæquato.

Secundò. Sicut homo quà homo, dicit intrinſecè rationem, ità unum corpus quà unum, dicit intrinſecè indiviſionem; Ergo ſicut implicat eſſe hominem & non dicere rationem, ità implicat unum corpus & non di-

cere indiviſionem, per qua eſt indiviſum. Atqui, ſi unum corpus replicaretur, & ſe ipſo occuparet diſtinctos ſitus, eóſque inter ſe diſtantes, non poſſet eſſe indiviſum in ſe; neque enim intelligi poteſt aliquid à ſeipſo diviſis ſitibus, ſeu ſeparatis coëxiſtere ſinè ſui diviſione, ſeu abſque eo, quòd diſtaret à ſe. Ergo divideretur à ſe, ſeu eſſet diviſum in ſe.

Tertiò. Quod eſt adæquatum, eſſentialiter excludit alterum in ea ratione, in qua eſt adæquatum; ſed locus quantitativus unius corporis eſt adæquatus. Ergo locus quantitativus unius corporis, excludit locum alium quantitativum corporis, ſeu replicationem.

Reſpondeo dicendum. Poſſibilis eſt replicatio tum definitiva, tum circumſcriptiva. Probatur primò. Eſſe in duobus locis quantitativè & extenſivè non eſt contra eſſentiam quantitatis, neque contra eſſentiam talis modi exiſtendi in loco: Ergo non repugnat. Probatur prima pars Antecedentis; quantitatem eſſe in duobus locis definitivè ſeu indiviſibiliter, non eſt contra eſ-

ſentiam quantitatis, ùt patet in Eychariſtia. Ergo etiam quantitatem eſſe in duobus locis extenſivè non eſt contra eſſentiam quantitatis. Prob: Conſeq: Ideo eſſe in duobus locis definitivè ſeu carere omni extenſione ad locum non eſt contra eſſentiam quantitatis, quia extenſio ad locum eſt aliquid poſterius ipſa quantitate, adeóque habetur tota eſſentia quantitatis ſinè illa extenſione; ſed etiam habere duas extenſiones, ad locum eſt aliquod poſterius ipſa quantitate. Ergo quantitatem eſſe in duobus locis extenſivè non eſt contra eſſentiam quantitatis. Adeóque poſſibile eſt unum idémque corpus v. g. Petrum eſſe in duobus locis adæquatis.

Probatur ſecundò. Nulla eſt repugnantia quominùs unum idémque corpus v. g. Petrus poſſit eſſe in duobus locis adæquatis: Ergo &c. Ant: Probatur. Ex hoc quòd Petrus ſit ſimul Romæ & Pragæ, non ſequitur Petrum eſſe Romæ & non eſſe Romæ: ſed neque eſt alia aſſignabilis repugnantia, ùt ex ſolutione objectionum patebit. Ergó nulla eſt repugnantia, quo minùs unum idémq; cor-

Digitized by Google

corpus v. g. Petrus poſſit eſſe in duobus locis adæquatis.

Probatur tertiò. Non minori neceſſitate corporum multitudo multitudinem locorum, quàm unitas corporis, loci unitatem exigit: Atqui certum eſt duo corpora poſſe eſſe Divinitus ſimul & ſemel in uno eodémque loco circumſcriptivo ſeu penetrari. Ergo nec repugnabit ut unum corpus ſimul & ſemel ſit in pluribus locis circumſcriptivis.

Ad primum ergo Reſp: Concedo Majorem. Nego Minorem. Ad Prob: Concedo Majorem. Nego Minorem. Ad ejus Probat: Concedo Majorem. Diſtingvo Minorem. Si locatum extra locum ſit, ità ut ſimul ſit intrà locum Nego Minorem. Si non ſit ſimul intrà locum Concedo Minorem. Sed Nego Conſequentiam. Corpus replicatum ità eſt extrà locum A, ut ſimul ſit intrà ipſum locum A; extreitas enim non eſt neceſſariò excluſiva intreitatis: quemadmodum eſſe rem in loco B, non eſt illam non eſſe in loco A, ut patet.

Ad ſecundum Reſp: Conceſsô Primô. Enthym: Nego ſubſ: Ant: Idem enim omni-

ab exiſtentia rei durantis; atqui duratio eſt ejuſmodi permanentia; Ergo corpora non exiſtunt in tempore per durationem diſtinctam.

Secundò. Implicat v. g. Petrum actu exiſtere, & tempus A. ſimul exiſtere actu, quin Petrus coëxiſtat tempori A, ſive detur in tempore A. Ergo Petrus non conſtituitur formaliter in tempore A. per formam aliquã ſibi intrinſecam realiter ſuperadditam. Prob: Conſ: Tunc tantùm opus eſt determinare, quando poſſunt eſſe ſimul duo extrema & tamen ad invicem non eſſe determinata; ſicut v. g. poteſt ſimul & ſemel exiſtere locus A. & Petrus; & tamen Petrus non eſſe in loco A. Ergo Petrus non conſtituitur formaliter in tempore A. per formam aliquam ſibi intrinſecam realiter ſuperadditam.

Tertiò. Quia poſita exiſtentia in tempore & ſecluſo quocunque alio diſtincto, bene intelligi poteſt, rem durare in illo. Ergo non eſt opus duratione diſtincta.

Reſpon: dicendum: Corpora exiſtunt in tempore per durationem diſtinctam. Probatur primò. Quod ſecundùm ſe & intrin-

 ſecè

ſecè eſt indifferens ad magis vel minùs durandum & ad exiſtendum hoc potiùs quàm illo tempore, hoc conſtituitur durans & exiſtens in hoc tempore per formam ſuperadditam. Atqui Petrus v. g. eſt indifferens ad durandum magìs vel minùs, & exiſtendum hoc potiùs quàm illo tempore. Ergo Petrus durat per durationem ſibi ſuperadditam.

Probatur ſecundò. Sicuti nulla res fuit erítque in univerſo, cui Petrus nõn eſſet ſimilis vel diſſimilis; ità nulla res fuit erítque reſpectu cujus Petrus non ſit diſtans ac propinqvus tempore. Atqui ſinè duratione ſuperaddita non poteſt Petrus eſſe diſtans ac propinqvus tempore. Ergo &c. Minorem Probo. Omnis diſtantia & propuinquitas cùm ſit relatio prædicamentalis, ſupponit eſſentialiter fundamentum proximum ſeu rationem fundandi accidentalem & ſuperadditam: Atqui hoc fundamentum eſt duratio. Ergo ſinè duratione ſuperaddita non poteſt Petrus eſſe diſtans.

Probatur tertiò. Poteſt Petrus eſſe in mundo, in inſtanti A. & DEUS in inſtanti B. annihilare mundũ, nulla facta mutatione dura-

ratio-

rationis Petri intrinſecæ. Ergo duratio Petri durantis, ſeu mundo conſervato ſeu annihilato, eſt Petro intrinſeca, ſed etiam poteſt eadem duratio ſeparari à Petro. Ergo eſt etiam ſuperaddita.

Ad primum igitur Reſp: Nego Ant: Sed duratio eſt ratio formalis, per quam res eſt in hoc determinato tempore extrinſeco, ſive hæc ſit permanentia eſſendi, ſive inchoatio eſſendi: & hæc forma nequit eſt ipſa rei creatæ entitas, propter rationes Concluſionis.

Ad ſecundum Reſp: Concedo Ant: N. Conſequentiam. Ad prob: Nego Ant: Nam etiam opus eſt formâ determinante, quando aliquâ, duo ità exiſtunt ſimul, ut potuerint exiſtere ſinè hac ſimultate: hæc ergò ſimultas, diſtincta eſt ab ipſis.

Ad tertium Reſp: Concedo Ant: Nego Conſequentiam. Quæritur enim per quid habeatur exiſtentia rei in tempore hoc; an ſolùm per exiſtentiam temporis & rei, an verò per coëxiſtentiam? at exiſtentia utriuſq; potuit eſſe vel fuiſſe, quemadmodum defactò fuit exiſtentia Conſtantini Magni, diei heſterni; & tamen non fuit coëxiſtentia eorun-

rundem. Iſta ergo coëxiſtentia eſt aliquid diſtinctum ab utroque.

QUÆSTIO XXVI.

An ſit poſſibile infinitum categorematicum aut Creatura perfectiſſima?

VIdetur quòd ſic: Nam primò, DEUS actu poteſt ponere quidquid poteſt: ponat ergo id quòd poteſt. Illud poſitũ vel erit infinitum vel finitum; ſi infinitũ habetur intentum. Si finitum; Ergo omnipotentia DEI tantùm poteſt ponere finitum; quod eſt falſum.

Secundò. In tota collectione creaturarum non omnis creatura exceditur à creatura in perfectione; ſed illa creatura, quæ in tota collectione à nulla exceditur, eſt perfectiſſima: Ergo in tota collectione creaturarum, eſt aliqua creatura perfectiſſima. Prob. Maj. Si in tota collectione omnis creatura

tura excederetur ab alia, tunc aliqua, quæ exceditur, excederet eamipſam, à qua exceditur. Atqui hoc eſt inconveniens. Ergo in tota collectione creaturarum non omnis creatura exceditur à creatura in perfectione.

Tertiò. Cauſa poteſt operari ſimul ubicunque eſt; ſed DEUS utpote immenſus eſt in ſpatio infinito; Ergo poteſt ſimul operari in ſpatio infinito; Ergo poteſt producere effectum extenſum per ſpatium infinitum.

Reſpondeo dicendum. Poſſibile non eſt infinitum Categorematicum aut creatura perfectiſſima.

Probatur primò. Implicat dari à parte rei quantitatem, quæ non ſit in aliqua ſpecie; Atqui quantitas infinita non eſſet in aliqua ſpecie. Ergo implicat quantitas infinita. Prob: Minorem. Quantitas ut ſit infinita, debet carere fine & termino; ſed quantitas carens fine & termino non eſt in aliqua ſpecie. Ergo quantitas infinita non eſſet in aliqua ſpecie. Min: eſt certa. Nam quantitas ſpecificatur per aliquam terminationem.

Pro-

Probatur ſecunda pars Concluſionis. Implicat divinæ omnipotentiæ ponere terminum, ultra quem nil poſſit majoris perfectionis ponere, & conſequenter creatura adæquaret omnipotentiam DEI, & faceret, ut perfectiones Divinæ non ſint participabiles ſine fine; quæ omnia implicant. Ergo implicat creatura perfectiſſima.

Probatur ſecundò. Si daretur creatura perfectiſſima eſſet DEO viciniſſima; ſed implicat creatura DEO viciniſſima. Ergo illa implicat. Prob: Minorem. Implicat creatura, quæ non ſit finita; ſed creatura DEO viciniſſima non eſſet finita. Ergo implicat creatura DEO viciniſſima. Min: Prob: Inter creaturam illam & DEUM non eſſet infinita diſtantia. Ergo creatura illa non eſſet fininita.

Probatur tertiò. Illa creatura perfectiſſima vel eſſet finita vel infinita; Infinita eſſe non poteſt. Sed neque finita eſſe poteſt. Quia inconveniens eſt dicere, quòd omnipotentia DEI poſitione rei finitæ ità exhauſta ſit, ut nullam aliam finitam rem perfectiorem efficere poſſit.

Ad primum itaque Reſp: Diſtingvo Ma: DE-

Digitized by Google

DEUS poteſt ponere quidquid poteſt, ly *quidquid* ſumendo diſtributivè Conc: Maj: ſumendo collectivè Nego Maj.

Ad ſecundum Reſp: Nego Majorem. Ad Prob: Diſtingvo Majorem. Si in tota collectione creaturarum quæ eſſent finitæ numerô omnis creatura excederetur ab alia creatura, ſequeretur mutuus exceſſus Con: Major: Si in tota collectione creaturarum, quæ eſſent infinitæ numerô omnis creatura excederetur, ſequeretur &c. N. Maj: & diſtincta Mi: Nego Conſ.

Ad tertium Reſp: Diſtingvo Minorem. eſt in ſpatio infinito Categorematicè N. Mi: eſt in ſpatio infinito ſyncathegorematicè, Concedo Minorem: & ſic diſtinctô conſequenti Nego & Concedo conſequentiam.

QUÆ-

QUÆSTIO XXVII.

An ſit poſſibilis creatura æterna, vel creatura creans?

VIdetur quòd ſic. Nam primò, Nulla eſt repugnantia ex parte DEI producentis, neque ex parte rei productæ, neque ex parte ipſius actionis. Ergo ſimpliciter nulla eſt repugnantia. Prob: Ant: Nam primò, DEUS ità potens eſt ab æterno, ſicut potens eſt in tempore: ſed in tempore poteſt producere; Ergo nulla eſt repugnantia ex parte DEI producentis. Secundò. Quia de eſſentia creaturæ eſt ſolùm, ut ſit ens ab alio, ſed creatura producta ab æterno eſſet ens ab alio, & non haberet abſolutam neceſſitatem eſſendi; fieret enim ex libera determinatione cauſæ primæ. Tertiò, Quia illa actio non eſſet ſucceſſiva neque præſupponeret aliquod ſubjectum, quæ ſola eſſet repugnantia ex parte actionis. Ergo nulla etiam repugnantia ex parte creaturæ.

Secundò, Poteſt DEUS elevare creaturam,

ram, ut per ſuam entitatem inſtrumentaliter efficiat, modo operandi excedente modum eſſendi naturalem. Sic aqua elevatur ad efficiendam gratiam in baptiſmo; ignis ad torquendos dæmones &c. Ergo etiam poteſt DEUS elevare creaturam ut per ſuam entitatem inſtrumentaliter cauſet effectum creativè; licet iſte modus operandi excedat modum eſſendi naturalem, hoc eſt, virtutem naturalem.

Tertiò. Implicantiæ, quas adſtruunt, nullæ ſunt. Ergo nil obſtat quo minùs creatura poſſit elevari ad creandum inſtrumentaliter.

Reſpondeo dicendum: Poſſibilis non eſt creatura æterna, vel creatura creans. Probatur primò. Si aliqua creatura potuiſſet eſſe ab æterno, Angelus utique aut homo potuiſſet eſſe ab æterno; & DEUS poſt primam hominis aut Angeli creationem potuiſſet addere alium & alium ſinè intermiſſione uſque nunc. Ergo licèt homines eſſent mortui, ſupereſſent, tamen animæ immortales infinitæ actu; atqui hoc eſt impoſſibile. Ergo & illud ex quo ſequitur hoc impoſſibile.

Probatur ſecunda pars Concluſionis. Si daretur creatura creans vel illa crearet principaliter vel inſtrumentaliter, ſed neutrum dici poteſt. Ergo non eſt poſſibilis creatura creans, prima pars ab omnibus admittitur. Probatur ſecunda. Cauſa inſtrumentalis non participat actionem cauſæ principalis, nec poteſt habere rationem inſtrumenti, niſi poſſit aliquid diſponere & diſpoſitivè operari ad ponendum effectum; Si enim nihil operaretur, fruſtrà adhiberetur. Atqui impoſſibile eſt, ut cauſa creata aliquid diſponat ad effectum per creationem ponendum: Creatio enim non præſupponit ullum ſubjectum diſponibile. Ergo non eſt poſſibilis creatura creans inſtrumentaliter.

Ad primum ergo Reſp: Nego Antec: & dico repugnantiam eſſe ex parte creaturæ, quæ eſſentialiter eſt inferior & minor DEO in omni ratione; ergo & in duratione; adeoq; eſt ex nihilo, ità ut verum fuerit aliquando dicere, *DEUS eſt; Creatura nihil eſt.*

Ad ſecundum Reſp: Nego Antecedens & quæ in eo affirmantur: neque enim DEUS

ele-

elevare poteſt actionem creaturæ inſtrumentalem ad agendum in nihil ſubjecti.

Ad tertium Reſp: Quòd niſi brevitas vetaret, longam earum ſeriem huc adducere poſſemus.

QUÆSTIO XXVIII.

An continuum componatur ex meris diviſibilibus in infinitum potentiâ diſtinctis?

VIdetur quòd ſic. Primò enim. Illa pars continui eſt actu diſtincta, quæ habet aliquam actualitatem & exiſtentiam propriam; atqui quædam partes in continuo habent talem actualitatẽ & exiſtentiam propriam. Ergo partes continui ſunt actu diſtinctæ in continuo. Maj: eſt certa. Min: Prob: Quædam partes in continuo habent aliquam deſignationem, de qua verificantur contradictoria; ſed partes, quæ habent deſignationem, de qua verificantur contradictoria, ha-

bent aliquam actualitatem propriam: Ergo aliquæ partes in continuo habẽt actualitatem & exiſtentiam propriam. Major patet; Sic una pars continui poteſt eſſe alba, altera non alba. Min: conſtat: quia de una eadémque actualitate non poſſunt actu verificari duo contradictoria. Ergo partes quæ habent aliquam deſignationem, de qua verificantur contradictoria, habent aliquam actualitatem propriam.

Secundò. Quia corpus humanum eſt continuum; atqui in corpore humano caput eſt actu diſtinctum à pede; eſt enim caput infinitanter negabile de pede & viciſſim. Ergo &c. Conf: idipſum. Aqua Moldavæ noſtri facit unum continuum cum aqua, quæ eſt in Mari Indico aut Æthiopico; cùm certũ ſit ex Hydrographia, omnes aquas fluminum & marium inter ſe continuari. Quis autem ſibi perſvadeat aquam, quæ nunc actu alluit pontem Pragenſem, non diſtingvi actu ab aqua alluente littus v. g. Goanum?

Tertiò. Quia ſeparabilitas eſt evidens ſignum diſtinctionis actualis; atqui omnes partes in continuo ſunt ſeparabiles. Ergo &c.

Maj:

Maj: eſt in terminis certa; quia in terminis repugnat, ut idem à ſeipſo ſeparetur. Min: ab adverſarijs conceditur. Conſ: evadit indubitata.

Reſpondeo dicendum. Continuum componitur ex meris diviſibilibus in infinitũ, potentia diſtinctis. Prob: primò. Impoſſibile eſt ut aliquid ſit unum actu & multum actu in eadem ratione. Atqui ſi in Continuo eſſent partes actu diſtinctæ, eſſent unum actu & multum. Ergo in continuo non ſunt partes actu diſtinctæ. Probo Minorem. Quævis pars continui eſt continuum; Ergo ſi in continuo ſunt multæ partes actu, ſunt in illo multa continua actu. Ergo unum continuum eſt ſimul actu multa continua. Ergo unum & multum in eadem ratione.

Probatur ſecundò. Implicat infinitum actu: Atqui daretur infinitum actu, ſi darentur in continuo partes actu; Ergo in continuo non ſunt partes actu. Probo Minorem. Continuum eſt diviſibile in partes ſine fine; atqui illud, cujus finis attingi nequit, ſi exiſtat actu, eſt infinitum actu. Er-

go daretur infinitum actu,ſi darentur in continuo partes actu.

Probatur tertiò. Continuum non conſtat ex meris indiviſibilibus, atqui conſtaret, ſi eſſent in illo partes actu diſtinctæ. Ergo in continuo non ſunt partes actu. Probatur ſeq: Minoris. Juxta adverſarios quidquid eſt in continuo, ſic debet eſſe diſtinctũ actu, ut non ſit ulterius diſtingvibile; Atqui nullum indiſtingvibile eſt ulterius diviſibile. Ergo in continuo nullum eſt diviſibile; ſed mera indiviſibilia; quia mera indiſtingvibilia. Probo Minorem, Nullum diviſibile eſt indiſtingvibile. Ergo nullum indiſtingvibile eſt diviſibile.

Ad primum ergo Reſp: Concedo Majorem. Nego Minorem. Ad Probat: Concedo Majorem. Nego Minorem. Ad cujus Prob: Diſtingvo Antecedens. De una eadémque actualitate indiviſibili non poſſunt actu verificari duo contradictoria Concedo Antec: de una eadémque actualitate diviſibili Nego Ant: & Conſ:

Ad ſecundum Reſp: Concedo Majorem. Diſtingvo Minorem. Caput eſt actu diſtinctum

ctum à pede in ratione quanti ſeu continui Nego Minorem. In alia ratione puta in diverſa collectione accidentium in capite, quàm ſit in pede. Concedo Minorem & Nego Conſequentiam. Ad Conſ: ſimiliter, Si omnes aquæ continuæ ſunt, poſſunt diſtingvi ſecundùm varias collectiones accidentium, non verò ſecundùm quantitatem continuam.

Ad tertium Reſp: Diſtingvo Majorem. Separabilitas eorum quæ actu ſunt, eſt evidens ſignum diſtinctionis Concedo Majorem. Separabilitas eorum quæ actu non ſunt &c. Nego Majorem, & Diſtingvo Minorem, omnes partes, quæ ſunt actu, ſunt ſeparabiles Nego Minorem, quæ ſunt ſolùm potentiâ, Concedo Minorem, ſed Nego Conſequentiam.

QUÆSTIO XXIX.

An Cœli ſint corruptibiles?

VIdetur quòd non. Nam primò, Natura, quæ non eſt capax contrariorum eſt incorruptibilis, ſed natura Cœli non eſt capax contrariorum. Ergo eſt incorruptibilis. Major conſtat: Nam omnis generatio & corruptio fit ex contrarijs. Minorem Probo: Proprietas naturæ cœleſtis non poteſt habere contrarium. Ergo nec Natura. Ant. Prob: Proprietas naturæ cœlorum eſt motus circularis; ſed motus circularis non poteſt habere contrarium. Ergo proprietas naturæ cœlorum non poteſt habere contrarium. Minorem Probo: Contrarietas motûs deſumitur à terminis contrarijs, atqui in motibus circularibus non dantur termini contrarij; termini enim contrarij ſunt, qui ab uno motu maximè diſtant. Ergo &c.

Secundò. Ex corpore cæleſti omnia dependent ſublunaria, & ejus influxu reguntur. Ergo congruentiùs eſt, ut ipſum ſit firmum

mum & incorruptibile, ut ejus ſtabilitate magis tuta ſint ſublunaria.

Tertiò. Non videtur repugnare unio indiſſolubilis inter materiam & formam, ſicut datur inter materiam & quantitatem, eſſentiam & proprietates. Ergo neque repugnat dari unionē indiſſolubilem inter materiam & formam corporum Cœleſtium, ſeu incorruptibilitatem eorundem.

Reſpondeo dicendum, Cœli ſunt corruptibiles. Probatur primò. In hoc Cælo apparuerunt ſtellæ novæ, & erant tam altæ, ſicut aliæ ſtellæ fixæ; etiam ſervabant eundem motum, quem habent ſtellæ fixæ. Atqui hoc non poteſt fieri ſinè novis in Cælo generationibus, adeóque nec ſinè corruptionibus ſubſtantialibus. Ergo Cœli ſunt corruptibiles. Maj: eſt certa ex obſervatione & experientia ſæculorum antiquorum & recentiorum, neque negari poteſt niſi ab ignaris. Min: Prob: Non poſſunt hæ apparentiæ novarum ſtellarum aliter & verè explicari niſi per novam productionem & eductionem: Ergo illud fieri non poteſt abſque novis in Cælo generationibus & corruptioni-

nibus ſubſtantialibus. Prob: Antec: Non enim poteſt dici, quòd hæc phœnomena non ſint veræ ſtellæ, ſed tantùm cometæ: differunt enim hæ ſtellæ à cometis, luce, figurâ, colore, motu, & quod præcipuum eſt, duratione: ergo non poſſunt hæ apparentiæ novarum ſtellarum aliter & verè explicari, niſi per novam productionem & eductionem.

Probatur ſecundò. Authoritate ſcripturæ: *Cæli ardentes ſolventur*; cui Authoritati non poteſt Ariſtoteles opponi; quia ejus Authoritas in comparatione hujus nulla eſt.

Probatur tertiò. Principium & fundamentum pro Cœlorum incorruptibilitate fuit falſum. Ergo incorruptibilitas cœlorum nulla eſt. Prob: Ant: Principia Ariſtotelis fuerunt hæc; primum, quòd Cœli ſint improducti, ingeniti & æterni; Secundum: Quod Cœli ſint ſedes & Regia DEORUM. Atqui utrumque hoc principium falſum eſſe conſtat omnibus; cùm & DEORUM pluralitas & Cœlorum aſeitas ac æternitas

nitas repugnet: Ergo fundamentum pro incorruptibilitate cœlorum falſum eſt.

Ad primum ergo Reſp: Nego Min: Ad Prob: Diſting: Conſ: Ergo nec natura habet contrarium quantum ad motus locales, tranſeat: non habet contrarietatem qualitatum activarum, ut patet in calore Solis & frigore Lunæ, Nego Min: Ipſe motus circularis poſt quamlibet circulationem poteſt abrumpi, ſi intelligentia motrix à movendo ceſſet.

Ad ſecundum. Omiſſo Ant: Nego Conſ: quamvis enim corruptibile ſit, adhuc influxum ſuum propagare poteſt conſtanter atq; ſtabiliter, omnibus ſublunaribus.

Ad tetium Reſp: Omiſſo Antec: Nego Conſeq: Nam ex ſtatu poſſibilitatis ſeu non repugnantiæ ad exiſtentiam realem & actualem; non bene infertur exiſtentia realis & actualis: cùm plurima ſint, quæ neque ſunt, neque fuerunt, neque erunt; eſſe tamen poſſint.

QUÆ-

QUÆSTIO XXX.

An detur Reſolutio uſque ad materiam primam?

VIetur quòd ſic. Primò enim Accidens non poteſt tranſire de ſubjecto in ſubjectum; atqui tranſiret, ſi eſſet idem accidens in genito, quod fuit in corrupto. Ergo non eſt idem accidens in genito, quod fuit in corrupto, adeóque datur reſolutio compoſiti veteris uſque ad materiam primam. Prob. Min: Subjectum accidentium eſt compoſitum. Ergo tranſiret idem accidens de ſubjecto in ſubjectum, ſi idem accidens eſſet in genito, quod fuit in corrupto.

Secundò. Si quantitas priùs eſſet in materia quàm forma ſubſtantialis, ſequeretur formam ſubſtantialem in materia recipi mediante quantitate. Atqui hoc non poteſt admitti, quia aliàs ex materia & forma ſubſtantiali non fieret unum per ſe, uniuntur enim mediante accidente. Ergo quantitas non eſt priùs in materia, quàm forma ſubſtantialis.

Ter-

Tertiò. Dum corrumpitur compoſitum, perit ſubjectum quantitatis cæterorúmque accidentium materialium. Ergo pereunt omnia iſta accidentia.

Reſpondeo dicendum, Non datur Reſolutio uſque ad materiam primam. Probatur primò. Si in generatione ſubſtantiali deſinerent accidentia priora, deſinerent ex defectu proprij ſubjecti. Atqui in generatione ſubſtantiali proprium ſubjectum non deſinit. Ergo in generatione compoſiti novi non deſinunt accidentia omnia priora, quæ fuerunt in novo compoſito. Maj: eſt Thomiſtarum. Min: Prob: Proprium ſubjectum inhæſionis accidentium eſt ſola materia prima; Atqui in generatione materia prima non deſinit. Ergo in generatione ſubſtantiali proprium ſubjectum accidentium non deſinit. Prob: Maj: Ad hoc ut aliquid ſit ſubjectum inhæſionis non requiritur aliud, etiam juxta adverſarios, quàm ut ſit ens actu exiſtens; Atqui materia prima eſt ens actu exiſtens, ut probatum eſt. Ergo proprium ſubjectum inhæſionis accidentium eſt ſola materia prima.

Pro-

Probatur Secundò. Juxta adverſarios ideo daretur Reſolutio uſque ad materiam primam, quia aliàs accidens tranſiret de ſubjecto in ſubjectum. Atqui reipſa non tranſiret; cùm ſubjectum talium accidentium ſit materia ſola, ùt conſtat. Ergo nulla ſit hujuſmodi reſolutio uſque ad materiam primam.

Probatur tertiò. In cadavere hominis v.g. repentè mortui manet aliquamdiu idem numerô calor, color &c. quæ fuerunt paulò ante in vivo. Ergo non fit reſolutio uſque ad materiam primam. Prob: Antecedens. Si recedente anima rationali omnia ejuſmodi accidentia eſſent alia numerô, deberet adeſſe aliqua cauſa eorum productiva. Atqui ſæpiſſimè nulla eſt; non forma vetus, quia hæc ampliùs non eſt; neque etiam forma cadaverica, quia illi calor non eſt connaturalis. Ergo in cadavere hominis repentè mortui non pereunt omnia accidentia, quæ fuerunt in vivo.

Ad primum Reſp: Concedo Majorem. Nego Minorem. ad prob: Nego Antecedens. Sub-

Subjectum enim accidentium eſt ſola materia prima; prout jam ſupra diximus.

Ad ſecundum Reſp: Diſtingvo ſeq: Maj: Sequeretur formam ſubſtantialem recipi in materia, mediante quantitate tanquam diſpoſitione connaturaliter prærequiſita, Concedo Majorem. tanquam potentia proximè receptiva formæ ſubſtantialis Nego Majorem & ſimiliter Diſt: reliqua.

Ad tertium Reſpondeo Diſt: Antececedens. Perit ſubjectum denominationis; Concedo Antecedens; perit ſubjectum inhæſionis Nego Antecedens & Conſeq:

QUÆ-

QUÆSTIO XXXI.

An ſubſtantia creata ſit immediatè productiva accidentium in ſubjecto proprio & alieno?

VIdetur quòd non. Primò, quia ſi ſubſtantia creata eſſet immediatè operativa & productiva alicujus effectûs, eoipſo evaderet illimitata; ſed hoc repugnat. Ergo &c. Prob: ſeq: Maj. Subſtantia eſt ens per ſe & ens ſimpliciter: Ergo ſi illi adderetur hæc alia perfectio, *eſſe immediatè productivum*, evadet perfectio illimitata; ſicuti ſi huic perfectioni, *Ens per ſe* addatur *aſeitas*.

Secundò. Priùs eſt eſſe, quàm poſſe operari: Ergo ipſum eſſe nequit eſſe ipſum poſſe operari. Atqui eſſe ſubſtantiæ eſt eſſentia ſubſtantiæ, virtus autem operandi eſt poſſe operari. Ergo virtus ſubſtantiæ non eſt ipſa ſubſtantia.

Tertiò. Si ſubſtantia eſſet immediatè productiva accidentis, ſpecificaretur ab ipſo tanquam ab effectu; ſed perfectius nequit ſpe-

ſpecificari ab imperfectiori. Ergo ſubſtantia non eſt immediatè productiva accidentium.

Reſpondeo dicendum: Subſtantia creata eſt immediatè productiva accidentium in ſubjecto proprio, non verò in alieno. Probatur primò. Subſtantia eſt productiva accidentium ſuorum & primarum proprietatum ſuarum; ſed non mediante aliqua entitate diſtincta. Ergo per ſeipſam immediatè. Min: Prob: Si ſubſtantia iſta accidentia produceret mediante aliqua entitate diſtincta; illa entitas non eſſet ſubſtantia, ſed accidens; atqui hoc ipſum vel erit immediatè à ſubſtantia, vel iterum mediante aliqua entitate productum; & ſic ibimus in infinitum: Ergo dicendum eſt, aliquod accidens immediatè produci à ſubſtantia.

Probatur ſecundò. Subſtantia habet virtutem producendi accidentia; ſed hæc virtus eſt indiſtincta ab ipſa ſubſtantia & ipſa ſubſtantia. ErgoMi: Prob: Quia nulla penitus ratio ſuppetit, quæ probet oppoſitum, ût patebit in objectionibus ſolutis. Ergo virtus

producendi accidentia eſt indiſtincta ab ipſa ſubſtantia:

Probatur tertiò. Juxta Philoſophum, datur demonſtratio à priori ſeu potiſſima, in qua infertur prima rei proprietas ex eſſentia; quæ eſt demonſtratio effectûs per cauſam. Atqui hoc ipſo ſupponitur à Philoſopho, prima proprietas produci ab eſſentia, alioquin demonſtratio proprietatis ex eſſentia, non eſſet demonſtratio effectûs per cauſam. Ergo eſſentia eſt cauſa proprietatis.

Ad primum ergo Reſpondeo Nego ſequelam Maj: Ad Prob: Nego Conſequentiam. Diſparitas eſt, nam aſeitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex exigens eſſentialiter identitatem cum omni perfectione: Talis autem perfectio non eſt virtus immediatè productiva.

Ad ſecundum Reſpondeo. Digingvo Majorem, eſt priùs prioritate logica & rationis Concedo Majorem, prioritate Phyſica, Nego Maj: & Concedo Minorem, ſed Nego Conſequentiam.

Ad tertium Reſp: Nego ſequelam Maj: Quævis enim entitas ſpecificatur per ſua præ-

prædicata intrinſecè conſtitutiva, non verò ab alio à ſe diſtincto.

QUÆSTIO XXXII.

An virtus immediatè productiva ſubſtantiæ ſit ſolùm accidens?

Videtur quòd non. Pimò. Nam accidens ſecundùm ſe ſolum & ſinè actuali immediato concurſu ſubſtantiæ non poteſt eſſe principium ſufficiens ad producendam formam ſe nobiliorem, qualis eſt ſubſtantialis. Ergo accidens ſecundùm ſe ſolùm non eſt iṁediatè operativum ſubſtantivæ. Prob: Ant: quod ſe ſolo operatur ſinè actuali & immediato influxu formæ ſubſtantialis, tantùm operatur Virtute propria; Atqui repugnat ut accidens ſit principium ſufficiens ad producendam ſubſtantiam virtute propria. Ergo accidens ſecundùm ſe ſolum, & ſinè actuali immediato concurſu ſubſtantiæ non

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

poteſt eſſe principium ſufficiens ad producendam formam ſe nobiliorem, qualis eſt ſubſtantialis. Min: patet, nam nemo dat, quod non habet. Majorem Probo. Si in actuali & immediato influxu ſubſtantiæ, accidens nullam aliam habet virtutem nisì illam, quam habet ex vi proprij eſſe; cùm virtus agendi in accidente nil aliud ſit, quàm ipſa entitas & intrinſeca perfectio accidentis. Neceſſariò ſequitur, quòd accidens ſe ſolo operans, ſinè immediato influxu formæ ſubſtantialis tantùm operetur virtute propriâ; Ergo quod ſe ſolo operatur ſinè actuali immediato influxu formæ ſubſtantialis, tantùm operatur vitute propriâ.

Secundò. Cauſa totalis debet in ſe continere totam perfectionem effectûs vel formaliter, ſi ſit cauſa univoca, vel eminenter ſeu virtualiter, ſi æquivoca. Sed calor non continet in ſe totam perfectionem ignis. Ergo non poteſt eſſe cauſa totalis illius.

Tertiò. Nam conſtat ex Ariſtotele, quòd ſicut materiæ eſt pati & moveri, ità formæ eſt agere & movere; Ergo Philoſophus cen-

ſet

ſet formam ſubſtantialem concurrere ad productionem ſubſtantiæ.

Reſpondeo dicendum. Virtus immediatè productiva ſubſtantiæ eſt ſolum accidens. Probatur primò. Subſtantiæ operantur mediantibus potentijs operativis, quæ primò & per ſe ordinantur ad operationem; Atqui potentia operativa, quæ primò & per ſe ordinatur ad operationem eſt ſolum accidens. Ergo ſubſtantiæ agunt medijs accidentibus. Prob: Min: Potentia & actus debent referri ad idem genus entis. Ergo potentia operativa debet eſſe in eodem genere, in quo eſt operatio: Atqui operatio in creatis eſt in genere accidentis. Ergo etiam virtus, ſeu potentia generativa erit de genere accidentis, adeóque accidens.

Prob: ſecundò. Aliquid debet eſſe, quòd immediatè producat ſubſtantiam, atqui non ſubſtantia. Ergo accidens. Prob: Min: Si una ſubſtantia immediatè produceret alterã, deberet ſubſtãtia ſe ſolâ eſſe potentia operãdi extra ſe; atqui ſubſtãtia ſe ſola nõ poteſt eſſe potentia operãdi extra ſe. Ergo ſubſtantia non producit immediatè ſubſtantiam.

Prob: tertiò. Nulla ſubſtantia naturaliter generat, niſi præcedat alteratio, & materia tranſmutetur ac diſponatur ad tale eſſe. Ergo nulla ſubſtantia generatur niſi medijs accidentibus. Ergo etiam nulla ſubſtantia generat naturaliter niſi medijs accidentibus. Atqui id quo mediante generat ſubſtantia, eſt virtus immediatè pruductiva ſubſtantiæ. Ergo accidens eſt virtus immediatè productiva ſubſtantiæ.

Ad primum itaque Reſp: Diſting: Ant: non poteſt eſſe principium agens principaliter & virtute propria Concedo Antec: Non poteſt eſſe principium agens inſtrumentaliter, & virtute aliena Nego Ant: & Conſequentiam. Patet reſponſio ad reliqua: accidens agit ſolùm immediatè, ſed virtute principalis cauſæ, cui aſſimilat effectum. Accidens præcontinet præcontinentiâ virtutis ſubſtantiam, non præcontinentiâ cauſæ principalis.

Ad ſecundum Reſp: Concedo totum. Non enim nos dicimus accidens eſſe cauſam totalem, ſed dicimus eſſe virtutem producti-

vam ſubſtantiæ, ſeu virtutem productivam & inſtrumentum cauſæ totalis.

Ad tertium. Conceſsô Antec: Diſtinguo Conſequens. Cenſet formam ſubſtantialem concurrere mediatè Concedo Conſ: immediantè, Nego Conſequentiam.

QUÆSTIO XXXIII.

An quælibet Entitas ſit ſua individuatio?

VIdetur quòd non. Primò. Quia individuum eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, ergo principium individuationis erit id, à quo habetur, Primò, Ultimata ratio incomunicabilitatis ſubjecto; Secundò, Diviſio ab omni alio; atqui primum habetur à materia, quæ per ſeipſam eſt incommunicabilis alteri ùt ſubjecto; Secundum habetur à quantitate dividente, per quam ſignatur materia. Ergo individuatio habetur à materia & quantitate.

Secundò. Quod in ſubſtantia materiali eſt primò & per ſe ex natura ſua phyſicè incommunicabile alteri ſubjecto, hoc eſt cauſa & principium phyſicum individuationis ſubſtantiæ materialis. Atqui materia prima hoc eſt: Ergo &c. Prob: Maj: Quod eſt primum in aliquo genere, hoc eſt cauſa cæterorum ejuſdem generis; atqui quod eſt primò per ſe phyſicè incommunicabile, hoc eſt primum in genere phyſicè incommunicabilium. Ergo &c. Atqui quod eſt principium phyſicè incommunicabilium eſt principium individuationis. Nam eſſe indiviſum in ſe, & eſſe incommunicabile alteri ſubjecto eſt omnino idem. Ergo quod in ſubſtantia naturali eſt primò & per ſe ex natura ſua phyſicè incommunicabile alteri ſubjecto, hoc eſt cauſa & principium phyſicum individuationis, in ſubſtantia materiali.

Tertiò. Genus determinatur à materia, & differentia ſpecifica à forma; non autem à tota entitate Phyſica. Ergo pariter differentia individualis deſumitur à materia rei materialis.

Reſpondeo dicendum. Qualibet entitas

tas eſt ſua individuatio. Probatur primò. Principium individuationis eſt illud, per quod ſubſtantia eſt indiviſa in ſe, & diviſa ab omni alio. Atqui quævis ſubſtantia per ſuam entitatem eſt indiviſa in ſe, & diviſa à quovis alio. Ergo propria entitas ſubſtantiæ eſt illius principium iudividuationis. Min: Prob: Quævis ſubſtantia eſt per ſuam entitatem una in ſe, & diſtincta ab omni alio. Ergo quævis ſubſtantia eſt per ſuam entitatem indiviſa in ſe, & diviſa à quovis alio. Ant: eſt clarum ex REUBAV. Ens enim convertitur cum uno & diſtincto.

Probatur ſecundò. Individuatio eſt prædicatum Metaphyſicum ſeparabile per præciſionem; atqui entitas æquivalens pluribus perfectionibus eſt ipſa principium omnium prædicatorum Metaphyſicorum: Ergo ipſa entitas eſt principium individuationis.

Probatur tertiò. Non poteſt res accipere individuationem ab alio. Ergo illam habet intrinſecè à propria ſua entitate. Prob: Ant. Quia quidquid demum illud eſt, quod adſtruitur pro principio individuationis, il-

lud ipſum vel eſt individuum vel non? Si eſt individuum; vel per ſe ipſum, vel per aliud? ſi per aliud, ibimus in infinitum. Si per ſeipſum. Ergo etiam hoc dicatur de omnibus rebus, quòd per ſuam entitatem individuentur.

Ad primum ergo Reſp: Con: primô Enthymemate Nego ſubſ: Ant: Quia tam indiviſio ſui in ſe, ſeu identitas ſui ſecum; quàm diviſio ſui ab omni alio, ſeu diſtinctio habetur formaliſſimè ab ipſa rei entitate; quæ per hoc quòd ipſa ſit ipſa, eſt hæc: & per hoc quòd ſit hæc, non eſt non hæc, ſeu eſt ab omni alia diſtincta.

Ad ſecundum Reſp: Nego Maj: Probationis Nego ſubſumptum. Hujus Probationem Diſt: Eſſe individuum ſeu indiviſum in ſe eſt eſſe incommunicabile alteri ſubjecto logico, ſive ſubjecto prædicationis Con: Ant: eſt eſſe incommunicabile alteri ſubjecto Phyſico, ſeu ſubjecto informationis Nego Ant: & Conſ.

Ad tertium Reſp: Diſt: Ant: Genus deſumitur à materia, ſecundùm aliquam Analogiam & ſimilitudinem; hoc eſt; ſicut materia

teria eſt quid potentiale ad formam Phyſicam, ità genus eſt quid potentiale ad differentiam Metaphyſicam Con: Antecedens, hoc eſt, genus Metaphyſicum fundatur præcisè in materia Phyſica Nego Ant: & Conſequentiam.

QUÆSTIO XXXIV.

An intenſio qualitatum fiat per additionem graduum?

Videtur quòd non. Nam primò, per illud formaliter fit intenſio, per quod ſubjectum reducitur magìs in actum. Atqui ſubjectum magìs reducitur in actum per majorem qualitatis radicationem in ſubjecto. Ergò intenſio qualitatis fit per majorem radicationem qualitatis in ſubjecto. Min: Prob: Subjectum reducitur ſimpliciter in actum per inhærentiam qualitatis; Ergo per firmiorem inhærentiam & majorem radicationem reducitur magìs in actum.

Se-

Secundò. Nam qualitas fit major per illud, per quod fit perfectior. Atqui per radicationem fit perfectior; Ergo per radicationem fit intenſio. Prob: Min: Perfectio cujuſcunque rei eſt ejus bonitas; Ergo qualitas per id fit perfectior, per quod acquirit melius eſſe; Atqui per radicationem acquirit melius eſſe. Ergo &c. Prob: Min: Bonum qualitatis eſt ineſſe; inhærere; Ergo quanto firmius ineſt ſubjecto, tantò convenientiùs habet eſſe. Ergo qualitas per radicationem aquirit melius eſſe.

Tertiò. Duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto. Atqui duo vel plures gradus homomogenei ſunt duo accidentia ſolo numero diſtincta: Ergo non poſſunt duo gradus homogenei ſimul eſſe in eodem ſubjecto. Atqui intenſio fit reſpectu ejuſdem indiviſibilis ſubjecti. Ergo intenſio non poteſt fieri per gradus homogeneos.

Reſpondeo dicendum. Intenſio qualitatum fit per additionem graduum. Probatur primò. Intenſio eſt motus novus; eſt enim diſtinctus ab omni motu non intenſivo,

vo, ſed omnis motus novus eſt poſitio alicujus novi termini. Ergo intenſio eſt poſitio alicujus novi termini; Ergo non poteſt eſſe poſitio termini ante exiſtentis, aliàs idem terminus producetur bis. Ergo intenſio eſt productio novæ partis; Ergo eſt additio novæ partis.

Probatur ſecundò. Juxta Thomiſtas in intenſione caloris v. g. eſt nova unio ejuſdem caloris cum ſubjecto. Atqui unio caloris cum ſubjecto eſt eductio caloris ex ſubjecto: Ergo nova unio ejuſdem caloris cum ſubjecto eſt nova eductio ejuſdem caloris ex ſubjecto. Atqui per talem eductionem non producitur primò totus calor; Ergo producitur pars ejuſdem caloris.

Probatur tertiò. Per illud formaliſſimè habetur intenſio qualitatis, per quod habetur, aliquod ſubjectum ex minùs tali, fieri magìs tale; atqui hoc habetur per additionem partis ad partem. Ergo intenſio formaliter habetur per additionem partis ad partem ejuſdem qualitatis. Min: Prob: Nam per hoc præcisè quòd in aqua addatur ſecunda & tertia pars caloris, aquà ex minùs calida

da fit magìs calida. Ergo intenſio habetur formaliter per additionem partis ad partem.

Ad primum ergo Reſp: Nego Maj: Sed per illud formaliter fit intenſio, per quod ſubjectum ex tali fit magìs tale; quod haberi nequit per ſolam firmiorem inhærentiam, abſque additione & augmento ipſius qualitatis.

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Maj: per quod fit perfectior quacunque perfectione, Nego Maj: per quod fit perfectior perfectione faciente ex ſubjecto tali, magìs tale, Conc: Majorem; & ſimiliter Diſtingvo Minorem, & Nego Conſequentiam. Tota perfectio qualitatis, quæ ſpectatur in intenſione ſtat in eo, quòd ſubjectum ex tali faciat magìs tale; quod facere nequit, nisì ipſa qualitas, major evadat; quod iterum fieri nequit nisì per additionem partis.

Ad tertium Reſp: Concedo Majorem, Nego Minorem; nam gradus ille ſeu partes qualitatis, quæ per actionem intenſivam ſuperadduntur, coaleſcunt inter ſe, fiúntq; una qualitas, abſque omni partium diſtinctione actuali.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXV.

An actio in ſubjectum diſtans abſolutè poſſibilis ſit?

VIdetur quòd non. Primo. DEUS enim nõ poteſt dare, quod non habet; ſed non habet ut poſſit agere in diſtans. Ergo non poteſt hoc dare ut cauſa agat in diſtans.

Secundò. Virtus talis cauſæ agentis in diſtans, ſi daretur, eſſet applicata paſſo & non eſſet applicata. Ergo dari non poteſt actio in diſtans. Prob: Ant: Eſſet applicata; quia ageret; ſed etiam non eſſet applicata, quia non eſſet approximata. Ergo virtus talis cauſæ agentis in diſtans, ſi daretur, eſſet applicata paſſo & non eſſet applicata paſſo.

Tertiò. Paſſio non eſt ſeparabilis à ſubjecto. Ergo nec actio ab agente. Probatur Conſequentia. Paſſio non eſt ſeparabilis à ſubjecto, quia eſt modus ſubjecti, ſed etiam actio eſt modus agentis. Ergo &c.

Reſpondeo dicendum. Actio in ſubjectum

ctum diſtans abſolutè poſſibilis eſt. Probatur primò. Nulla apparet contradictio, quare cauſæ creatæ, de facto exiſtentes ità non poſſint agere. Ergo actio in ſubjectum diſtans, abſolutè poſſibilis eſt.

Probatur ſecundò. Cauſa principalis poteſt agere per inſtrumentum, ubi ipſa non eſt. Ergo ſimpliciter poteſt cauſa aliqua agere, virtute DEI, ubi ſolus DEUS potens eſt. Confirmatur. Defacto humanitas Chriſti edidit Miracula in locis à ſe remotis; ùt apparet in puero Centurionis. Ergo cauſa principalis poteſt agere, ubi ipſa non eſt.

Probatur tertiò. Non eſt major ratio, ex qua magìs repugnet agere cauſam in paſſum diſtans, quàm duo corpora penetrari inter ſe, vel idem corpus occupare plura ſpatia adæquata; ſed hoc non repugnat divinitus. Ergo neque illud.

Ad primum ergo Reſpondeo, Concedo Maj: Diſtin: Min: Non poteſt agere propter ſuam immenſitatem, quâ ubique eſt præſens, Concedo Minorem; propter defectum potentiæ & virtutis, Nego Minorem & Conſequentiam.

Ad

Ad ſecundum Reſpondeo, Nego Antec: Ad Prob: Diſtingvo Majorem, eſſet applicata, id eſt DEUS verè illâ uteretur ad producendum Concedo Majorem, eſſet applicata, id eſt, approximata in ſe Nego Majorem & ſic diſtinctâ Minor: Nego Conſequentiam.

Ad tertium Reſpondeo. Concedo Antecedenti. Nego Conſequentiam. Ad Probationem compleo cauſalem; quia eſt modus intrinſecus ſubjecti Concedo Cauſ: Maj: Quia eſt modus tantùm ſimpliciter Nego Cauſ: Majoris. Minorem diſtingvo etiam. Actio eſt modus agenti extrinſecus Concedo Minorem, agenti intrinſecus, Nego Minorem & Conſequentiam.

QUÆSTIO XXXVI.

An agens Corruptivum ſimile poſſit agere in paſſum omninò ſimile?

Videtur quòd ſic. Primò enim. Poteſt minùs intenſum agere in magis intenſum. Ergo etiam ſimile in ſimile. Probatur Ant: Poteſt ferrum candens producere in palea ignem, adeóque etiam proprietatem ignis, nempe calorem intenſivum; nam qui ferrum candens non eſt calidum intentiſſimè; neque enim ferrum candens eſt ignis. Ergo minùs intenſum poteſt agere in magis intenſum.

Secundò. Tunc agens poteſt agere in paſſum, quando paſſum non reſiſtit, ſed paſſum ſimile non reiſtit ſimili. Ergo agens ſimile poteſt agere in paſſum ſimile.

Tertiò. Duæ manus æquè calidæ confricando ſe mutuò, calefaciunt ſe magis. Ergo ſimile poteſt agere in ſimile.

Re-

Reſpondeo dicendum. Nequit agens corruptivum ſimile agere in paſſum omninò ſimile. Prob. primò. Nemo dat, quod non habet; Ergo agens, quod non habet tertium gradum caloris; non poteſt dare tertium gradum caloris. Sed agens calidum ùt duo nõ habet gradum tertium caloris. Ergo non poteſt illum producere in paſſo, quod eſt calidum ùt duo. Ergo non poteſt agere in ſimile.

Probatur ſecundò. Idem nequit agere in ſeipſum; quia non poteſt idem ſimul eſſe in potentia & actu; atqui hoc ſequeretur ſi ſimile ageret in ſimile. Ergo ſimile nequit agere in ſimile. Probo Minorem. Paſſum eſſet in actu, cùm ex ſuppoſito ſit agenti ſimile, quod debet eſſe in actu ut agat. Atqui paſſum etiam eſſet in potentia. Ergo ſi ſimile ageret in ſimile ſequeretur quòd idem poteſt agere in ſeipſum.

Probatur tertiò. Agens ſecundùm qualitatem corruptivã agit in paſſum, ut hoc ſibi aſſimilet; ergo agens ſimile non poteſt agere in ſimile; aliàs enim ſi quid amplius in illo produceret, non aſſimilaret ſibi paſſum, ſed diſſimularet. Ergo &c.

Ad primum Reſp: Ne: Ant: Prob: Diſt Majorem; ferrum candens poteſt producere ignem, adeóque calorem intenſiſſimum per calorem receptum in corpuſculis igneis, quæ latent inter poros ferri candentis Con: Maj: per calorē receptũ in ſubſtantia ferri N. Majorem. & ſic diſtinctâ Min: Nego Conſequentiam.

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Major: quando non reſiſtit, & eſt in potentia ad illum actum, ſecundùm quem agens agit Concedo Maj. ſecùs, NegoMaj: & ſimiliter diſtinctâ Min: Nego Conſequentiam.

Ad tertium Reſp: Diſtng: Ant: duæ manus æquè calidæ confricando, calefaciunt ſe, magìs per calorem productum à cauſa æquivoca, à motu videlicet & attritione manuum Con: Ant: per calorem productum à cauſa univoca, quæ ſit præexiſtens calor ipſarum manuum N. Ant: & Conſ:

QUÆ-

QUÆSTIO XXXVII.

An rarefactio ſit alteratio?

VIdetur quòd non. Primò enim rarum eſt, quod habet parum materiæ ſub magnis dimenſionibus. Ergo magnæ dimenſiones faciunt rarum. Idem eſt è converſo de denſo.

Secundò. Non eſt perceptibile quomodo contingat in rarefactione, ut idem corpus quantum occupet jam ſpatium v. g. duorum palmorum, quod antea occupabat ſpatium unius palmi, niſi vel accedat nova quantitas vel replicetur idem quantum. Ergo rarefactio non eſt alteratio.

Tertiò. Quantum rarefactum correſpondet, pluribus partibus loci, quàm non rarefactum. Atqui non per partes novas; ergo per eaſdem; atqui hoc non poteſt fieri ſinè replicatione partium. Ergo rarefactio habetur per replicationem partium.

Reſpondeo Dicendum. Rarefactio & con-

condenſatio ſunt alterationes. Probatur primò. Raritas & denſitas percipiuntur tactu; poſſumus enim tactu diſcernere, an aliquid ſit rarum, an denſum: ſed quod percipitur tactu eſt qualitas paſſibilis ad tertiam ſpeciem qualitatis pertinens. Ergo raritas & denſitas ſunt qualitates: & conſequenter rarefactio & condenſatio, utpote motus ad qualitates, ſunt alterationes.

Probatur ſecundò. Rarefactio eſt motus ad raritatem, & condenſatio eſt motus ad denſitatem. Atqui raritas & denſitas ſunt qualitates. Ergo raritas & denſitas ſunt alterationes. Min: Prob: Raritas & denſitas percipiuntur tactu: deinde raritas & denſitas ſunt contraria, inveniturque in illis intenſio & remiſſio. Atqui contrarietas & intenſio ſolis competunt qualitatibus; Ergo raritas & denſitas ſunt qualitates.

Conf: Motus ad paſſibilem qualitatem eſt propriè alteratio; ſed rarefactio & condenſatio ſunt motus ad qualitates paſſibiles & ſubjectas ſenſibus. Ergo rarefactio & condenſatio ſunt alterationes.

Ad

Ad primum Reſp: Diſting: Conſeq: Ergo magnæ dimenſiones faciunt rarum arguitivè & quoad nos Con: Cōſ: faciunt rarū formaliter & quoad ſe Nego Conſeq: Magnæ dimenſiones manifeſtant raritatem, quam ſupponunt, non conſtituunt.

Ad ſecundum Reſp: Nego Ant: & Conſeq: hæc qualitas poteſt eſſe v. g. calor, qui ea, quæ fuerunt conſtricta frigore, diſſolvit.

Ad tertium Reſpondeo. Nego Majorem. Quodlibet enim quantum & extenſum habet partes potentiales infinitas, actualem nullam; Locus autem quiſcunque parvus non habet pauciores quam magnus.

QUÆSTIO XXXVIII.

An elementa ſint formaliter in mixtis?

Videtur quòd ſic. Primò. Si Elementa non manerent in mixtis formaliter, elementa non componerent mixta, ſed tranſmutarentur in mixta; adeóque nulla daretur mixtio quoad ſubſtantiam; quod eſt falſum: Ergo elementa ſunt formaliter in mixtis.

Secundò. Elementa actu componunt mixtum; Ergo actu ſunt in mixtis.

Tertiò. Ex mixtis poſſunt 4. Elementa actu ſeparari, vel per putrefactionem, vel per diſtillationem; Ergo exiſtunt actu in mixtis.

Reſpondeo dicendum. Elementa non ſunt formaliter in mixtis. Probatur primò. Non poſſunt naturaliter plures formæ ſubſtantiales eſſe in eodem ſubjecto; atqui formæ elementorum & formæ mixti ſunt plures

res formæ ſubſtantiales. Ergo neceſſariò adveniente forma mixti pelluntur formæ elementorum. Ergo non ſunt formaliter in mixtis.

Probatur ſecundò. Vel omnia elementa eſſent formaliter in mixto vel tantùm aliqua? Non poſſunt eſſe omnia; aliàs enim extremè pugnarent inter ſe propter primas qualitates ſummè contrarias. Non etiam poſſunt eſſe aliqua. Nam forma mixti eſt cuilibet formæ elementari contraria; cùm forma mixti exigat omnes quatuor qualitates in gradu non ſumo: quælibet autem forma elementaris exigit aliquam primarum qualitatum in gradu ſummo. Ergo eſſent exigentiæ contrariæ. Ergo elementa non ſunt formaliter in mixtis.

Probatur tertiò. Si manerent in mixtis formæ elementorum vel manerent refractæ vel integræ? non refractæ; quia ſubſtantia non ſuſcipit magìs & minùs, non integræ, quia vel agerent in ſe, vel non? ſi non; Ergo ſemper violentè continerentur. Si agerent; Ergo continuò fieret transmutatio ſubſtan-

tialis; quod patet eſſe falſum ex permanentiâ tot rerum. Ergo &c.

Ad primum igitur Reſp: Diſt: Ant: Elementa non componerent mixta tanquam partes actuales & formales Con: Ant: tanquã partes potentiales & virtuales Nego Ant: & Conſequentiam.

Ad ſecundum Reſp: Diſt: Ant: Elementa ſubſtantialiter immutata actu componunt mixtum Concedo Ant: non itâ immutata, Nego Ant: & Conſ.

Ad tertium Reſp: Diſt: Antec: Ex mixtis poſſunt 4. Elementa actu ſeparari, quæ vel latebant intrà poros mixti, vel in quæ mixtum actu transmutatur, Concedo Ant: poſſunt actu ſeparari in 4. Elementa quæ formaliter antea fuerunt in eodem ſubjecto mixti, Nego Antecedens & Conſequentiam.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXIX.

An Elementa in locis proprijs habeant gravitatem & levitatem?

Videtur quòd non. primò enim, Corpora gravia in proprijs locis non premunt Corpora inferiora deorſum. Ergo non gravitant, adeóque non habent gravitatem ſuam. Antec: Probatur experientijs; primò aër qui eſt ſupra nos non gravitat capita noſtra; neque aquæ, infra quas natant urinatores, premunt natatores. Ergo aër & aqua dum ſunt in proprijs locis non premunt corpora.

Secundò. Gravitas eſt innata gravibus & levitas levibus, ut gravitando & levitando, locum ſibi debitum aſſequantur; atqui quando ſunt in locis proprijs, locum debitum jam ſunt aſſecuta: Ergo ceſſat ratio ulterioris gravitatis.

Tertiò. Si quis ſitulâ æneâ trahat aquam ex

ex puteo, quamdiu tota ſitula eſt intrà aquam, non ſentit pondus niſi ſolius ſitulæ; quamprimum autem ſitula emergit extrà aquam, ſentit pondus aquæ. Ergo aqua in proprio loco nihil ponderat, neque gravitat; ſed ſolùm extra proprium locum.

Reſpondeo Dicendum. Elementa habent in locis proprijs gravitatem aut levitatem. Probatur primò. Elementa in locis proprijs quieſcunt. Atqui non quieſcerent niſi haberent gravitatem aut levitatem. Ergo Elementa in locis proprijs habent gravitatem aut levitatem. Probatur Min: Ratione ejuſdem potentiæ movetur aliquid ad terminum, & quieſcit in termino. Atqui Elementa ratione gravitatis aut levitatis moventur ad terminum. Ergo etiam ratione gravitatis aut levitatis quieſcunt in termino.

Probatur ſecundò. Ut terra maneat in loco ſuo proprio debet habere aptitudinem naturalem ad manendum in illo. Atqui iſta aptitudo eſt gravitas. Ergo elementa in locis proprijs habent gravitatem.

Pro-

Probatur tertiò. Si terra non gravaret quivis aër illam moveret. Sed hoc non vidimus fieri. Ergo terra gravat.

Ad primum igitur Reſp: Nego Anteced: Ad Probat: dico, aërem ſupra capita noſtra gravitare, quamvìs non tam ſenſibiliter, ac alia corpora gravia: aër enim longè plus habet levitatis quàm gravitatis, adeóque mirum non eſt, quòd non premat capita noſtra. Quòd autem aqua non premat natatores, ſignum eſt, quòd gravitet; ideo enim non premit illos deorſum, quia ipſa nititur occupare locum inferiorem; quem nè occupent natatores, aqua eos conatur prememere ſurſum, ut ipſa poſſit manere aut venire deorſum; quod eſt gravitare.

Ad ſecundum Reſp: Diſtingvo Anteced: ut gravitando & levitando, locum ſibi debitum aſſequantur, & ſimul ut eundem acquiſitum conſervent Concedo Anteced: ſecus N. Ant: & Conſ:

Ad tertium Reſpondeo, ex illa experientia probari ſolùm, quòd aqua minùs ponderet intrà aquam quàm ponderet extra aquam; ratio eſt: Quia omne grave magìs

pon-

ponderat in medio rariore v. g. in aëre, quàm in medio denſiore; patet id in lapide, qui dimiſſus cadit velociùs per aërem quàm per aquam; quia aqua utpote denſior aëre magìs reſiſtit lapidi, quàm aër; aqua ſimiliter magìs ponderat in aëre quàm in aqua; ex hoc tamen non infertur quòd non ponderet ſimpliciter.

QUÆSTIO XXXX.

An Anima rationalis ſit forma informans?

Videtur quòd non. Primò. Major eſt proportio inter ſpiritum & ſpiritum, quàm ſit inter ſpiritum & corpus; ſed unus ſpiritus non poteſt eſſe actus ſeu forma alterius ſpiritûs. Ergo nec unus ſpiritus poteſt eſſe actus corporis.

Secundò. Nulla forma naturaliter unitur

tur illi ſubjecto, per quod impeditur à perfectione ſuæ operationis. Ergo anima non unitur naturaliter corpori. Min: Prob: Anima ſeparata longè perfectiùs operatur. Ergo Anima quàm diu eſt in corpore, inpeditur à perfectione ſuæ operationis.

Tertiò. Modus operandi ſequitur modum eſſendi; ſed anima rationalis habet operationes independentes à materia. Ergo etiam ipſius eſſe eſt omnino independens à materia.

Reſpondeo Dicendum. Anima Rationalis eſt forma informans, ſeu actus corporis faciens unum per ſe cum materia. Probatur primò. Illud eſt forma informans ſeu actus corporis, quo primò aliquid operamur; atqui Anima rationalis eſt, quo primò operamur. Ergo anima rationalis eſt forma informans corporis ſeu materiæ. Ma: conſtat: quia in tantum aliquid agit, in quantum eſt actu, illud autem per quod aliquid eſt actu, eſt forma. Min: etiam Prob: Certum enim eſt, quòd quiſque homo in particulari experiatur ſe intelligere; ſed homo in particulari non intelligit ſecundùm ſe totum;

Ergo

Ergo intelligit ratione alicujus partis, quæ eſt intellectiva; ſed non ratione partis materialis. Ergo ratione partis formalis.

Probatur ſecundò. Vel homo eſt ſolus intellectus aſſiſtens corpori vel ſolum corpus ſentiens & motum; vel complexum ex utroque? Si eſt ſolus intellectus aſſiſtens corpori; non poteſt per corpus ſentire; ſenſatio enim eſt actus immanens; ſi autem eſt ſolum corpus motum; Ergo non intelligit per intellectum aſſiſtentem, cùm etiam intellectio ſit operatio imanens. Si eſt complexum ex intellectu aſſiſtente & corpore moto; Ergo eſt aggregatum duorum ſuppoſitorum & velut eqvus, cui inſidet homo, quod dici nequit.

Probatur tertiò. De ratione formæ ſubſtantialis eſt, ut compoſitum conſtituat in certa ſpecie phyſica; & diſtingvat à quolibet alio, & ſit radix proprietatum; ſed talis eſt anima rationalis reſpectu compoſiti humani. Ergo eſt verè foma ſubſtantialis hominis.

Ad primum Reſp: Diſtingvo Majorem.

Ma-

Major eſt proportio naturæ & eſſentiæ inter ſpiritum & ſpiritum quàm inter corpus & ſpiritum, Concedo Majorem. Major eſt proportio potentiæ & actûs, Nego Majorem & Concedo Minorem, SedNegoConſequentiam.

Ad ſecundum Reſp: Diſtingvo Major: Nulla forma unitur naturaliter ſubjecto,per quod impeditur à perfectione ſuæ operationis, ſi unio illa non ſit acquiſita ad hoc, ut forma perveniat ad perfectiorem operationem Concedo Majorem, ſit ſit: Nego; & ſimiliter reſpondeo ad reliqua.

Ad tertium Reſpondeo. Diſtingvo Minorem, habet aliquas operationes independentes à materia, Concedo Minorem. omnes, Nego Minorem & Conſequentiam.

K QUÆ-

QUÆSTIO XXXXI.

An Anima rationalis ſit immortalis?

VIdetur quòd non. Primò. Quod eſt ſuſceptivum contrariorum eſt corruptibile; nam corruptio oritur ex contrarijs: Atqui anima rationalis eſt ſuſceptiva contrariorum; poteſt enim ſuſcipere contrarias opiniones; amorem & odium. Ergo anima rationalis non eſt immortalis.

Secundò. Quod eſt factum ex nihilo poteſt redire in nihilum; ſed anima facta ex nihilo eſt: Ergo &c.

Tertiò. Anima rationalis non poteſt intelligere abſque phantaſmate; Ergo anima rationalis non poteſt operari extra materiam, cùm phantaſma neceſſariò ſit materiale; Ergo nec poteſt exiſtere extra materiam.

Reſpondeo Dicendum: Anima rationalis eſt immortalis. Demonſtratur primò, Omnis forma per ſe ſubſiſtens, hoc eſt, quæ habet

habet eſſe independens à materia, adeóque eſt incorporea & immaterialis, etiam eſt incorruptibilis. Atqui anima rationalis habet eſſe independens à materia, adeóque eſt incorporea & immaterialis. Ergo anima rationalis eſt immortalis. Min: patet. Nam omnis forma, quæ habet potentiam & operationem incorpoream & immaterialem habet etiam eſſe incorporeum & immateriale. Maj: etiam Prob: Nam omnis forma in tantum materialiter corrumpitur in quantum pellitur è ſubjecto à quo dependet in ſuo eſſe. Atqui forma immaterialis & incorporea nullum habet ſubjectum à quo dependeat in ſuo eſſe. Ergo omnis forma per ſe ſubſiſtens, & quæ habet eſſe independens à materia, adeóque eſt incorporea & immaterialis, neceſſariò etiam eſt incorruptibilis & immortalis.

Demonſtratur ſecundò. Omne ens poteſt aſſequi id, quod naturaliter appetit; appetitus enim naturalis non eſt fruſtraneus, nec ad impoſſibile. Atqui omne ens intellectivum apetit naturaliter vitam felicem & beatam; Ergo omne intellectivum poteſt

 con-

conſequi vitam felicem. Sed vita non poteſt eſſe felix, ſi ſit corrupta cum perpetuo timore exterminationis & interitûs. Ergo ut ſit felix vita intellectivi debet eſſe immortalis & incorruptibilis.

Demonſtratur tertiò. Si ſubſtantia ſpiritualis poſſit diſſolvi & corrumpi, vel defectu ſubjecti, vel à forma ſibi contraria, vel defectu cauſæ conſervantis diſſolveretur. Sed nullo horum. Ergo forma ſpiritualis eſt incorruptibilis. Prob: Min: Non defectu ſubjecti, quia ſubſtantia ſpiritualis cùm immaterialis ſit, non pendet à ſubjecto, poteſtque exiſtere ſinè materia. Non forma contraria, quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium: Non defectu cauſæ conſervantis. Nam ſicut à ſolo DEO producitur per creationem, ità & à ſolo DEO conſervatur. Ergo neque defectu ſubjecti; neque à forma contraria, corrumpi poteſt ſubſtantia ſpiritualis ſeu immaterialis.

Ad primum Reſp: Diſtingvo Majorem, Quod eſt ſuſceptivum contrariorum pugnátium contra ipſum ſuſcipiens eſt corruptibile, Concedo Majorem; pugnantium tantùm

tùm mutuò contra ſe invicē Nego Maj: ſimiliter Diſtingvo Minorem & Nego Conſequentiam.

Ad ſecundum Reſp: DiſtingvoMajorem. Quod eſt factum ex nihilo poteſt redire in nihilum vel annihilativè vel corruptivè Concedo Majorem, tantum corruptivè Nego Majorem & Con: Minorem: ſed Diſtingvo Conſ: ùt Majorem.

Ad tertium Reſp: Diſtingvo Anteced: Anima rationalis quamdiu eſt unita corpori non poteſt intelligere abſque phantaſmate tanquam ſuo objecto Concedo Anteced: tanquam ſuo ſubjecto, Nego Antecedens: & ſic Diſtin: Conſeq: ſed Nego & Concedo Conſequentiam.

PARS III. EX METAPHYSICA.

QUÆSTIO XXXXII.

An ſit Poſſibilis Diſtinctio Formalis ex natura rei?

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

Videtur quòd ſic. Primò. Illa diſtingvuntur ex natura rei, quæ non ſunt diſtincta realiter, & priùs quàm diſtingvantur dependenter ab intellectu, jam diſtingvuntur actu. Atqui gradus Metaphyſici non ſunt diſtincti realiter,

aliter; & priuſquàm diſtingvantur ab intellectu, jam ſunt diſtincti actu. Ergo gradus Metaphyſici diſtingvuntur ex natura rei. Prob: Min: quoad ſecundam partem. In Petro independenter ab intellectu datur eſſentia animalis & eſſentia rationalis, atqui ipſæ eſſentiæ ſunt diſtinctæ independenter ab intellectu. Ergo gradus Metaphyſici priuſquàm diſtingvantur ab intellectu, jam ſunt diſtincti actu. Prob: Min: Eſſentia animalis eſt eſſe principium ſentiendi, eſſe autem principium diſcurrendi, non eſt eſſentia animalis (idem dic de rationali.) Ergo illæ eſſentiæ ſunt diſtinctæ à parte rei.

Secundò. Illa ſunt inter ſe diſtincta, quæ poſſunt definitione diverſa definiri, ſed animal & rationale poſſunt. Ergo animal & rationale ſunt aliquo modo actu diſtincta.

Tertiò. Formalitates naturæ vel ſunt idem formaliter, vel non ſunt idem formaliter; ſi non ſunt idem eſſentialiter ſeu formaliter; Ergo ſunt formaliter & eſſentialiter diſtinctæ, & conſequenter habetur intentum Scoti; ſi ſunt idem formaliter; Ergo

 non

non poteſt una ab altera per intellectum abſtrahi.

Reſpondeo dicendum. Poſſibilis non eſt diſtinctio formalis ex natura rei. Probatur primò, Ubicunque eſt diſtinctio, ibi excluditur res vel ratio illa, à qua aliud diſtingvitur; Ergo ſi inter naturam & ſingularitatem datur actualis diſtinctio, excluditur ab unitate ſingularitas. Atqui impoſſibile eſt, ut ex his unum excludat alterum. Ergo etiam impoſſibile eſt, ut inter hæc detur actualis diſtinctio.

Probatur ſecundò. Vel natura Petri prout diſtincta à Petreitate ſeu ſingularitate Petri diſtingvitur à natura Pauli prout etiam diſtincta à Pauleitate, vel eſt indiſtincta & eadem cum natura Pauli; ſed quidquid dicatur eſt contra Scotiſtas. Ergo non datur diſtinctio ex natura rei. Min: Prob: quoad primam partem. Si natura Petri prout diſtincta à Petreitate diſtingveretur à natura Pauli, prout diſtincta à Pauleitate, deberet diſtingvi per aliquod prædicatum intrinſecum; atqui non poteſt ſic diſtingvi, nam Petrus & Paulus diſtingverentur ſpecie. Ergo &c.

Prob:

Prob: ſecunda pars. Si non eſt diſtincta; Ergo in creatis datur myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis; eſſet enim una indiſtincta natura in pluribus perſonis.

Probatur tertiò. Omne ens vel eſt reale vel rationis ſinè ullo medio. Ergo diſtinctio quæ eſt proprietas entis, erit vel rationis vel realis ſinè ulla media diſtinctione. Conſ: patet. Nam omnis diſtinctio vel eſt in ſe,& ſic eſt realis, ſicut ens; vel eſt ex apprehenſione ſeu conceptione, & ſic eſt rationis; Ergo nullum datur medium in diſtinctione ſicut & in ente.

Ad primum itaque Reſp: Concedo Majorem,& primã partem Minoris,Nego ſecundam. Ad Probationem Nego Minorem, ad illius Prob: Diſtingvo Antecedens. Eſſe principium diſcurrendi non eſt eſſentia animalis, ſi intelligatur in ſenſu negativo Concedo, ſi intelligatur in ſenſu præciſivè Nego Antecedens & Conſeq:

Ad ſecundum Reſpondeo. Illa ſunt diverſa, quæ poſſunt diverſa definitione definiri, ita ut unius definitio non ſit definitio alterius actualis,Concedo Majorem, ut non ſit

 defi-

definitio alterius potentialis, Nego Majorem, & Diſtingvo Minorem. Animalis definitio non eſt actu definitio rationalis Nego, potentiâ & poſt operationem intellectûs Con: Minorem & Nego Conſ:

Ad tertium Reſp: Nego utramque partem dilemmatis; illæ enim propoſitiones non ſunt contradictoriæ; ſunt enim modales; in propoſitionibus autem modalibus negatio debet afficere modum.

QUÆSTIO XXXXIII.

An ſit poſſibilis præciſio objectiva Thomiſtica fundata in diſtinctione virtuali intrinſeca?

VIdetur quòd ſic. Primò. Juxta omnes darentur præciſiones objectivæ, ſi daretur cognitio apprehenſiva animalis, quæ non eſſet cognitio ſimul apprehenſiva rationalis realiter identificati cum animali. Atqui datur cognitio talis. Ergo datur præciſio objectiva. Prob: Min: Datur definitio animalis, quæ non ſit ſimul definitio rationalis. Atqui definitio animalis eſt cognitio apprehenſiva animalis. Ergo talis cognitio datur. Probo Májorem. Eſſentia animalis non eſt ſimul eſſentia rationalis. Ergo etiám definitio.

Secundò. Tunc intellectus noſter præſcindit objectivè, quando ex duabus formalitatibus unam facit eſſe objectum ſuum, & alteram non facit. Atqui hoc poteſt facere.

re. Ergo poteſt præſcindere objectivè. Prob: Min: Intellectus noſter poteſt facere, ut habeat eſſe objectivum, quod non habet eſſe reale. Ergo etiam poteſt facere objective, ut habeat eſſe objectivum diſtinctum, quod non habet eſſe reale diſtinctum.

Tertiò. Si non daretur præciſio objectiva Thomiſtica nulla darentur univoca, ſed dantur. Ergo datur præciſio objectiva. Prob: ſeq: Maj: Cognitio faciens univerſale debet eſſe talis, ut repræſentet perfectè unam naturam; ſed præciſio formalis imperfecta non poteſt repræſentare perfectè unum. Ergo ſinè præciſione objectiva, nulla darentur univoca.

Reſpondeo dicendum. Poſſibilis non eſt præciſio objectiva Thomiſtica. Probatur primò. Præciſio objectiva Thomiſtica eſt, quæ ex parte objecti cognoſcit unum non cognito altero ex parte objecti. Sed quamvis cognitio attingat unum, ſecundum exiſtentiam intentionalem non cognito altero ſecundùm exiſtentiam intentionalem realiter, adhuc attingit utrumque. Ergo non datur præciſio objectiva. Conf: Eſſe inten-

tentionale animalis eſt animal ùt cognitum; atqui cognitio præciſiva animalis non terminatur ad animal ùt cognitum. Ergo &c. Mi: Prob: Unio non reſpicit extremum ùt unitum; ſed ſecundùm ſe; Ergo neque cognitio præciſiva animalis reſpicit animal ùt cognitum; ſic enim reſpiceret ſeipſam, cùm ipſa ſit forma conſtituens animal in eſſe cogniti.

Prob: ſecundò. Repugnat idem cognoſci ſimul & non cognoſci; ſed ſi daretur præciſio objectiva Thomiſtica ſequitur, idem cognoſci ſimul & non cognoſci. Ergo repugnat præciſio objectiva. Min: patet. Nam præſcindere objectivè Thomiſticè eſt, idem ac eandem rem indiviſibilem cognoſcere & non cognoſcere. Maj: Prob: Non minùs repugnat idem cognoſci & non cognoſci quàm exiſtere idem & non exiſtere; ſed evidens eſt non poſſe idem ſimul exiſtere & non exiſtere; Ergo ſi datur præciſio objectiva, ſequitur idem cognoſci & non cognoſci.

Probatur tertiò. Vel Thomiſtæ præſcindentes objectivè dicunt rem totam concipi, ſed

ſed non totaliter; & ſentiunt cum præſcindentibus formaliter; vel non totam; & ſentiunt cum Scotiſtis; quod Prob: Nam illud quod concipitur, eſt aliquid, & ens; illud quod omittitur, eſt etiam aliquid, & ens ex parte objecti; atqui hæc ſunt diverſa; alias idem conciperetur & omitteretur. Ergo ex parte objecti ſunt rationes diverſæ; ſive eæ jam vocentur cum Thomiſtis virtualitates, ſive cum Scotiſtis formalitates; parum refert.

Ad primum itaque Reſp: Diſtingvo Majorem, quæ non eſſet cognitio apprehenſiva rationalis objectivè Thomiſticè conſiderati, Concedo Majorem. Conſiderati formaliter Nego Minorem, & ſub ſimili diſtinctione Con: & Nego Minorem. Ad Prob: Diſtingvo Majorem, datur definitio animalis objectivè Thomiſticè conſiderati, quæ non ſit definitio rationalis conſiderati eodem modo Nego Majorem, datur definitio animalis formaliter conſiderati, quæ non ſit definitio rationalis formaliter conſiderati Concedo Majorem & Minorem, ſed Nego Conſeq: Aut etiam datur definitio animalis adæquata,

ta, quæ non &c. Nego, inadæquata Concedo.

Ad ſecundum Reſp: Nego Minorem in ſenſu Thomiſtarum. Ad Prob: Concedo Ant: Nego Conſ: Diſparitas eſt, nam ex primo non ſequitur verificatio duorum contradictoriorum, ſicut ex ſecundo, ùt probatum eſt.

Ad tertium Reſp: Hanc objectionem, ſupponere præter præciſionem objectivam, & formalem imperfectam, nullam dari aliam: ſed malè: Datur enim præciſio formalis perfecta, ſeu actus intellectûs, prædicata realiter identificata ſeparans formaliter, ità ut ſeparatio tantùm ſe teneat ex parte actûs; ex parte autem rei & objecti omnia attinguntur & cognoſcuntur.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXXIV.

An Ens ſit univocum.

VIdetur quòd non. Primò enim. *Ens* eſt nomen commune DEO & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti, & ratio per hoc nomen ſignificata eſt partim eadem, partim diverſa. Ergo *Ens* eſt Analogum. Prob: ſecunda prs Antecedentis. Ratio per nomen commune *Entis* ſignificata dicit in conceptu ſuo rationem conveniendi, & ſimul diſconveniendi: Ergo ratio per hoc nomen *Ens* ſignificata eſt partim eadem partim diverſa. Probatur Antecedens. Id in quo conveniunt DEUS & creatura, eſt *Ens*: Ergo ratio per ly *Ens* ſignificata dicit in ſuo conceptu rationem conveniendi & ſimul diſconveniendi. Probatur etiam ſecunda pars Antecedentis. Id in quo diſconveniunt eſt *Ens*; Ergo ratio per ly *Ens* ſignificata dicit rationem diſconveniendi. Probatur antecedens. Id in quo diſconveniunt non eſt non Ens; Ergo eſt *Ens*.

Se-

Secundò. Si datur una ratio *Entis* abſtracta, neceſſariò erit vel abſoluta vel reſpectiva, finita vel infinita. Atqui ratio entis abſtracta neque eſt reſpectiva aut finita, alioquin non poteſt prædicari de rebus reſpectivis aut finitis. Ergo non datur ratio Entis abſtracta & univoca.

Tertiò. Si differentiæ non ſunt formaliter Ens; Ergo ſunt formaliter non Ens.

Reſpondeo Dicendum: Ens ſub aliquo conceptu eſt univocum. Probatur primò. Ens in tota ſua latitudiue, poteſt cognoſci confusè per quemdam conceptum non diſcernentem DEUM & creaturam, ſubſtantiam & accidens; Ergo poteſt cognoſci conceptu quodam, ex vi cujus dicatur unum nomen commune entibus pluribus in una ratione convenientibus. Prob: Antecedens. Quando concipio ens ut ſic, non concipio clarè ſubſtantiam & accidens, cùm id ſæpe neſciam. Ergo tum concipio rationem Entis, quin diſtinctè rationem ſubſtantiæ aut accidentis cognoſcam.

Probatur ſecundò. Iſte conceptus Entis realis, *id cui non repugnat realiter exiſtere*,

eſt perfectè præciſus ab omnibus inferioribus; ſed conceptus præciſus & perfectè unus reſpectu ſuorum inferiorum, eſt univocus. Ergo conceptus Entis eſt univocus. Ma: Prob: Iſte conceptus, *id cui non repugnat exiſtere realiter*, æquè convenit omnibus inferioribus; quia de quolibet horum verum eſt dicere, eſt *id cui non repugnat exiſtere realiter*. Ergo ille conceptus Entis eſt perfectè præciſus à ſuis inferioribus.

Probatur tertiò. Univocum eſt, cujus nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ de pluribus prædicatur; atqui Ens ità de DEO, creatura, ſubſtantia, & accidente prædicatur. Ergo &c. Min: Prob: Ratio Entis eſt *poſſe exiſtere*; atqui hoc tam DEO, quàm creaturis convenit. Ergo &c. Min: Prob. Creatura tam eſt independens ab intellectu, quàm DEUS, & opponitur Chimæræ. Ergo ratio exiſtendi illis æqualiter convenit. Ergo Ens eſt univocum.

Ad primum ergo Reſp: Nego Antecedentis ſecundam partem. Prob: Nego Antecedens. Ad Probationem hujus Nego Antecedens; hujus Probationem Nego; nam inter

ter *Ens* præciſivè ſumptum, & *non Ens* excluſivè ſumptum datur medium formale, ſeu in ſenſu formali, videlicèt *non Ens* præciſivè ſumptum; differentiæ autem formaliter nec ſunt *Ens* poſitivè acceptum, nec ſunt *non ens* excluſivè acceptum; ſed præſcindunt ab utroque hoc extremo, & ſunt *non ens* præciſivè acceptum, ità videlicèt, ut particula *non* ſemel accipiatur neganter, & tunc ly *non Ens* eſt contradictoriè excluſivum entis; altera vice eadem particula *non* accipitur infinitanter, & eſt *non Ens* præciſivè, non oppoſitum contradictoriè Enti poſitivo: ſicuti termini iſti, *homo*, *non homo*, ſunt contradictorij, ſi particula *non* ſumatur neganter & excluſivè; non verò ſi ſumatur infinitanter & præciſivè; ùt patet.

Ad ſecundum Reſpon: Nego Majorem. Quia Ens ùt ſic præſcindit ab his omnibus prædicatis, & eſt indifferens ad hæc omnia.

Ad tertium Reſp: Nego Conſequentiam. Malè enim ex prædicato negato infertur infinitatum; niſi totum prædicatum infinitetur; ſic ergo inferri debet; Differentiæ for-

maliter non ſunt Ens. Ergo ſunt non formaliter Ens; quæ ſequela valet & à nobis admittitur.

QUÆSTIO XXXXV.

An Terminus ſit pars Relationis prædicamentalis?

VIdetur quòd non. Primò. Pars non eſt id, quo præcisè ablato perit totum; non convenit enim ſoli parti; cùm etiam ablato termino relationis tranſcendentalis pereat relatio tranſcendentalis, & tamen terminus relationis tranſcendentalis non eſt pars relationis tranſcendentalis. Ergo terminus non eſt pars relationis prædicamentalis.

Secundò. Eſſentia relationis eſt, *ad aliud eſſe*, ſeu ad aliud ſe habere. Ergo extra relationis eſſentiam eſt illud *aliud*. Atqui ill ud

Digitized by Google

illud aliud, ad quod ſe habet relatio, eſt terminus. Ergo extra eſſentiam relationis eſt terminus.

Tertiò. Si terminus eſſet pars relationis, relatio non eſſet reſpectus unius ad aliud, ſed eſſet reſpectus ſaltem partialis ad ſeipſam; quod Prob: Quia relatio eſſet quoddam complexum; atqui illud non refertur ad aliquid extra ſe; ſed ad aliquid intrà ſe. Ergo relatio non eſſet reſpectus unius ad aliud.

Reſpondeo dicendum. Terminus relationis in aliquo ſenſu eſt pars ipſius. Prob: primò. Illud intrinſecè conſtituit relationem & ejus quidditatem, quo præcisè intellecto ſuppoſitis alijs conſtitutivis, intelligitur formaliter ipſa ùt conſtituta; & quo præcisè non intellecto, non intelligitur formaliter ipſa ùt conſtituta. Sed intellecto præcisè fundamento proximo & termino intelligitur formaliter relatio; & quolibet horum non intellecto non intelligitur formaliter ipſa. Ergo fundamentum proximum & terminus conſtituunt intrinſecè relationem.

Probatur ſecundò. Illud eſt conſtitutivum relationis, quo præcisè ablato aufertur formaliter ipſa; ſed præcisè ablato termino formaliter aufertur ipſa. Ergo terminus eſt pars relationis. Min: Prob: Ablato præcisè termino & manentibus reliquis, perit formaliter tota denominatio relationis; nam in terminis repuguat manere hanc totam denominationem, *unum referri ad aliud*, ſinè illo *alio*. Ergo præcisè ablato termino formaliter aufertur ipſa relatio.

Probatur tertiò. Pereunte termino perit relatio quoad denominationem. Ergo etiam pereunte termino perit relatio quoad Entitatem. Prob: Conſeq: Pereunte albedine in pariete quoad denominationem perit etiam quoad Entitatem; cùm impoſſibile ſit, pereunte totaliter effectu formali, manere totum; & manente albedine quoad Entitatem manet etiam quoad denominationem, cùm non poſſit exiſtere forma ſinè effectu formali. Ergo etiam pereunte relatione quoad denominationem, perit etiam quoad Entitatem; vel manente quoad Entitatem, manet etiam quoad denominationem;

Ergo

Ergo terminus vel eſt pars relationis; vel nullo modo requiritur ad relationem: quod tamen Adverſarij negant.

Ad primum ergo Reſp: definitio partis non eſt, id quo præcisè ablato perit totum; ſed eſt, *id quo præcisè ablato perit formaliter totum;* unde patet Reſponſio ad reliqua; nam ablato termino relationis tranſcendentalis, non *formaliter*, perit relatio; ſed ſolùm illativè, & arguitivè.

Ad ſecundum Reſp: primò. Nego Ant: Illa enim eſſentia eſt relativi, non autem relationis. Reſp: ſecundò. Eſſentia relationis eſt ad aliud eſſe, relationis inadæquatæ Concedo Ant: adæquatæ Nego Ant: & Conſ: quæ nihil facit contra nos.

Ad tertium Reſp: quòd relatio adæquatè ſumpta non eſt quid relativum, ſed abſolutum, atque adeò relatio adæquatè ſumpta non eſt reſpectus unius ad aliud; nisì fortè unius partis ad aliam compartem, videlicet fundamentũ proximũ ad terminũ. In forma Reſp: Concedo Majorem & Min: cum Conſ:

QUÆSTIO XXXXVI.

An Eſſentia in creatis diſtingvatur realiter ab exiſtentia?

Videtur quòd ſic. Primò enim. Eſſentia rei convenit rei per ſe & neceſſariò; Atqui exiſtentia rei non convenit rei per ſe & neceſſariò. Ergo aliud eſt eſſentia rei, aliud exiſtentia.

Secundò. Quod poteſt habere vel non habere actum, illud non identificatur realiter indiviſibiliter actui: v. g. potentia, quæ poteſt habere intellectionem aut volitionem vel non habere; non identificatur realiter intellectioni aut volitioni. Atqui eſſentia creata poteſt habere vel non habere exiſtentiam. Ergo eſſentia creaturæ non eſt realiter idem cum exiſtentia.

Tertiò. Modus exiſtendi perfectiſſimus competit ſolùm Enti perfectiſſimo; Ergo nõ creaturæ. Atqui modus exiſtendi perfectiſſimus eſt, ſi ipſa eſſentia ſit actus exiſtendi. Er-

Ergo eſſentia creata nequit eſſe realiter identificata cum exiſtentia. Patet ſubſumptum. Quia res illa cujus eſſentia eſt actus exiſtendi eſt primò & per ſe exiſtens; ſic à pari illud intelligens intelligit modô perfectiſſimô & primò ac per ſe, cujus eſſentia eſt ipſe actus intelligendi. Ergo &c.

Reſpondeo dicendum. Eſſentia in creatis non diſtingvitur realiter ab exiſtentia. Probatur primò. Eſſentia actualis per ſuum eſſe intrinſecum conſtituitur completè extra ſuas cauſas. Ergo eſſentia actualis per ſuum eſſe intrinſecum completè exiſtit. Probat: Ant: Per illud conſtitur eſſentia ultimò & completè extra ſuas cauſas, per quod ultimò & completè diſtingvitur à ſuis cauſis; atqui per ſuum eſſe intrinſecum ultimò & completè diſtingvitur à ſuis cauſis; Ergo per ſuum eſſe intrinſecum ultimò & completè conſtituitur extra cauſas. Ergo per illud completè exiſtit. Maj: eſt certa; Min: etiam patet; quia de eſſentia actuali verum eſt dicere, eſſentia actualis producta nullomodo eſt ipſa Entitas ſuæ cauſæ.

Probatur ſecundò. Si quæcunque eſſentia creata deberet exiſtere per exiſtentiam ſibi ſuperadditam, ſequeretur quòd etiam exiſtentia v.g. Petri deberet exiſtere per aliam exiſtentiam ſuperadditam; & hæc rurſus per aliam, & ſic procedendo in infinitum; quod eſt eſt abſurdum; ab Adverſarijs tamen neceſſariò incurritur: quod Prob: Nam juxta illos eſſentia Petri ideo exiſtit per exiſtentiam ſibi ſuperadditam, quia eſt indifferens adhoc, ut exiſtat vel non exiſtat: Atqui etiam ipſa exiſtentia Petri eſt ſecundùm ſe indifferens, ut exiſtat vel non exiſtat. Ergo &c. Min: patet. Nam exiſtentia non eſt neceſſariò.

Ad primum ergo Reſp: Diſt: Maj: Eſſentia rei Phyſica convenit rei per ſe & neceſſariò Nego Majorem, Eſſentia logica & Metaphyſica, Concedo Majorem & Diſtingvo Minorem. Atqui exiſtentia rei Phyſica non convenit rei per ſe & neceſſariò Concedo Minorem, exiſtentia rei logica, Nego Min: & Conſeq:

Ad ſecundum Reſp: Diſtin: Maj: quod poteſt potentiâ Phyſicâ habere vel non habere

bere actum illud non identificatur realiter indiviſibiliter actui Con: Maj: quod poteſt potentia ſolùm logicâ habere vel non habere actum &c. Nego Min: & ſimiliter Diſt: Mi: Nego Conſ:

Ad tertium Reſp: Con: Maj: Nego Min: ſubſ: ad ejus prob: Diſtin: Ant: res illa, cujus eſſentia eſt actus exiſtendi contingenter, eſt primò & per ſe exiſtens Nego Ant: res illa, cujus eſſentia eſt actus exiſtendi neceſſarius Con: Ant: & N. Conſ: Ad paritatem additam dico diſparitatem eſſe; quia non datur modus intelligendi perfectior, quàm ſit intelligere per intellectionem indiſtinctam, qui modus intelligendi includit actum exiſtendi omnino neceſſarium; at verò modus exiſtendi per exiſtentiam indiſtinctam contingenter, eſt talis, ut ſit poſſibilis perfectior modus exiſtendi per exiſtentiam indiſtinctam, videlicet neceſſariam, & non contingentem; qualem habet ſolus DEUS.

QUÆ-

QUÆSTIO XXXXVII.

An ſola omnipotentia DEI ſit tota poſſibilitas poſſibilium, & impoſſibilitas impoſſibilium?

VIetur quòd ſic. Primò enim. DEUS poteſt res creare; Atqui non poteſt, ſi quocunque modo eſſentia creaturæ eſſet aliquid extra DEUM, antequam producatur à DEO; Ergo eſſentia creaturæ nullo modo eſt aliquid extra DEUM antequam producatur à DEO. Prob: Min: Creare eſt rem producere ex non ente ſeu nihilo; atqui ſi creatura eſſet aliquid extra DEUM antequam produceretur, non poſſet produci ex nihilo. Ergo ſi quocunque modo creatura eſſet aliquid extra DEUM, antequam producatur à DEO, DEUS nihil poſſet creare. Maj: eſt certa. Min: etiam patet: Produceretur enim ex aliquo præjacente: Ergo &c.

Secundò. Quidquid à DEO factum non

eſt,

eſt, vel eſt DEUS, vel eſt nihil; ſed eſſentia creaturæ non eſt DEUS; Ergo quamdiu eſſentia creaturæ à DEO facta non eſt, tamdiu nihil eſt; Ergo eſſentia creaturæ nihil eſt extra DEUM & in ſeipſa. Ergo neque eſt verum eſſe reale.

Tertiò. Si eſſentia creaturæ eſſet in ſe aliquid, daretur infinitum actu; atqui hoc implicat; Ergo &c. Prob: ſeq: Poſſibiles ſunt creaturæ infinitæ. Ergo ſi eſſentia creaturæ eſt aliquid in ſe ipſa actu, datur defacto infinitum actu; infinitum eſſentiarum.

Reſpondeo dicendum. Sola Omnipotentia DEI non eſt tota poſſibilitas poſſibilium, & impoſſibilitas impoſſibilium. Prob: primò quoad primam partem. Si ſola omnipotentia DEI eſſet tota poſſibilitas poſſibilium, conceptus explicativus Omnipotentiæ non eſſet explicativus Omnipotentiæ; ſed hoc in terminis repugnat. Ergo ſola Omnipotentia DEI non eſt tota poſſibilitas poſſibilium. Prob: Maj: Conceptus explicativus omnipotentiæ eſt iſte, potentia ad omnia poſſibilia; ſed iſte conceptus non eſſet explicativus Omnipotentiæ potiùs quàm

quàm non Omnipotentiæ; ſi ſola Omnipotentia DEI eſſet tota poſſibilitas poſſibilium, Eego ſi ſola Omnipotentia DEI eſſet tota poſſibilitas poſſibilium, conceptus ille explicativus omnipotentiæ non eſſet explicativus omnipotentiæ. Min: Prob: Quia ſi omnipotentia ſola eſſet tota poſſibilitas poſſibilium, iſte conceptus, *potentia ad omnia poſſibilia* æquivaleret iſti, *potentia ad omnia, quæ poteſt ipſa.* Hic autem conceptus non potiùs Omnipotentiam explicat, quàm non Omnipotentiam. Ergo ille conceptus omnipotentiæ non eſſet explicativus omnipotentiæ.

Probatur ſecundò. Si ſola Omnipotentia eſſet tota poſſibilitas poſſibilium; tota impoſſibilitas impoſſibilium eſſet carentia virtutis in omnipotentia; nam tota impoſſibilitas eſt carentia poſſibilitatis totius. Sed hoc dici nequit. Ergo &c. Min: oſtenditur. Quia ſi tota impoſſibilitas impoſſibilium eſt carentia virtutis in Omnipotentia, impoſſibilia non alio titulò eſſent impoſſibilia, quàm quia Omnipotentia non poſſet il-

la

la producere; adeóque argueret Omnipotentiam imperfectam.

Ad primum Reſp: Concedo totum: creaturæ enim poſſibilitas, antequam producatur nihil omnino eſt actu exiſtens, eſt tamen producibilis; quæ producibilitas ſunt ipſa prædicata eſſentialia creaturæ poſteà exiſtentis: quæ cum poſtea diſtingvantur ab omnipotentia DEI, nunquam fuerunt identificata cum illa; atque ità ſola Omnipotentia non fuit tota poſſibilitas poſſibilium.

Ad ſecundum Reſp: Concedo totum, ſi ly *nihil* accipiatur pro nihilo præciſivè, non verò ſi accipiatur pro nihilo poſitivè & excluſivè. Creatura poſſibilis antequam producatur à DEO nihil eſt præciſivè, id eſt nihil habet actualitatis ſuæ; non tamen excludit actualitatem ſuam; ſed eam reverà poteſt habere; eſt proinde Ens reale prout Ens reale nihil aliud eſt, quàm poſſe exiſtere realiter; non eſt autem Ens reale, prout hoc accipitur pro ente actu exiſtente.

Ad tertium Reſp: Diſtingvo ſeq Majoris.

ris. Si eſſentia creaturæ eſſet in ſe aliquid actu, daretur &c. Concedo ſeq: Majoris. Si eſſet in ſe aliquid potentiâ, Nego ſeq: Majoris, &c. Eſſentia creaturæ poſſibilis antequam producatur, in ſe nihil eſt actu, eſt tamen in ſe potens eſſe actu: Nam ly *eſt* non ſemper ſignificat exiſtentiam, ſed aliquando ſolam connexionem prædicati cum ſubjecto, præſcindendo ab omni exiſtentia actuali.

VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUÆSTIO XXXXVIII.

An Cauſa prima concurrat immediatè ad omnes effectus creatos?

VIdetur quòd non. Primò. Si DEUS immediatè influeret cum cauſis ſecundis in omnes effectus, ſequeretur, quòd daretur duplex actio ad eundem effectum, qui procedit à cauſa ſecunda. Atqui non datur duplex actio ad eundem effectum. Ergo cauſa prima non concurrit immediatè ad omnes effectus creatos.

Secundò. DEUS ſic producit creaturas, ut illis det virtutem ſufficientem ad cauſandum. Ergo illius concurſus eſt ſuperfluus.

Tertiò. Cauſæ creatæ ſunt cauſæ principales; ſunt enim æquè perfectæ aut perfectiores ſuis effectibus; ſed cauſæ principales non indigent influxu cauſæ ſuperioris. Ergo cauſæ creatæ non indigent iufluxu cauſæ primæ.

Reſpondeo dicendum. Cauſa prima concurrit imediatè ad omnes effectus. Probatur primò. Nulla cauſa poteſt producere adæquatè & immediatè effectum, quæ non continet omnes perfectiones identificatas ſuo offectui. Atqui nulla caſa ſecunda continet omnes perfectiones identificatas ſuo effectui. Ergo nulla cauſa creata ſe ſola, & abſque concurſu cauſæ primæ, poteſt adæquatè & immediatè producere ullum effectum. Prob: Min: Nulla cauſa ſecunda diſtingvitur à ſuis imperfectionibus; è contra quilibet effectus diſtingvitur ab imperfectionibus identificatis cauſæ ſecundæ; ſed diſtingvi ab imperfectionibus eſt perfectio. Ergo quilibet effectus habet perfectionem, quâ caret cauſa ſecunda. Ergo nulla cauſa ſecunda poteſt illam perfectionem tribuere effectui. Ergo talem perfectionem habet immediatè à cauſa prima.

Probatur ſecundò. DEUS eſt perfectiſſimus & immediatus Dominus omnium creaturarum. Ergo DEUS concurrit imediatè ad omnes effectus cauſarum ſecundarum. Prob: Conſ: Dominiū perfectiſſimum & imme-

dia-

diatũ fundatur in titulo effectoris perfectiſſimi & im̃ediati. Unde qui tantùm titulo donationis, emptionis, aut alterius com̃utationis eſt Dominus alicujus rei; non eſt perfectiſſimus Dominus illius rei, ille enim eſt perfectior Dominus, qui eſt Dominus titulo effectionis; Et ſic rectè Poëta canit, *quæ facimus ipſi, vix ea noſtra puto.*

Probatur tertiò. Nulla creatura ſibi ſufficit ad eſſendum; eſt enim eſſentialiter ab alio in fieri & conſervari: nempe à DEO. Ergo etiam nulla creatura ſibi ſufficit ad operandum immediatè; cùm modus operandi ſequatur modum eſſendi.

Ad primum ergo Reſp: Nego ſeq: Majorem. Nam actio DEI & actio creaturæ eſt eadem actio, quæ procedit à DEO ùt à primo, à creatura autem ùt à ſecundo agente.

Ad ſecundum Reſp: Diſtingvo Antecedens, dat illis virtutem ſufficientem in ſuo ordine Concedo. ſufficientem ſimpliciter Nego, dat illis imperfectam virtutem, ſicut dat imperfectum eſſe; & ſicut pendent à DEO in eſſe, ità etiam in operari.

Ad tertium Reſp: Diſtingvo Majorem. Cauſæ creatæ ſunt cauſæ principales in ſuo ordine Concedo Majorem; in omni ordine Nego Majorem. Et ſic diſtinſta Minori Nego Conſequentiam.

QUÆSTIO XXXXIX.

An Exiſtentia DEI ſit demonſtrabilis à priori?

VIdetur quòd ſic. Primò. Hæc demonſtratio eſt quaſi à priori: Nullum bonum eſt Chymæra, ſed id quod caret omni defectu eſt bonum; Ergo non eſt Chymæra. Ergo eſt poſſibile. Ergo exiſtit, quia ſi eſſet poſſibile & non exiſteret, jam non careret omni defectu; haberet enim defectum exiſtentiæ. Ergo exiſtit.

Secundò. Habere omnes perfectiones non eſt Chymæra, ergo eſt poſſibile habere omnes

omnes perfectiones. Ergo habentur. Ergo habetur DEUS, evidenter quaſi à priori.

Tertiò. Non poteſt exiſtentia DEI demonſtrari ab effectu. Ergo non poteſt demonſtrari à poſteriori. Prob: Antecedens. Effectus ex quo demonſtratur cauſa debet eſſe proportionatus ſuæ cauſæ; ſed nullus effectus eſt proportionatus DEO. Ergo nequit exiſtentia DEI demonſtrari ab effectu.

Reſp: Dicendū eſt: Exiſtentia DEI non eſt demonſtrabilis à priori ulla prioritate, eſt tamen demonſtrabilis à poſteriori. De prioritate reali certum eſt, cùm DEUS ſit Ens omnino incauſatum. Probatur itaque primò de prioritate Logica. Exiſtentia DEI non eſt demonſtrabilis per prædicatum intrinſecum, ſeu quaſi à priori. Illud enim prædicatum intrinſecum DEO, aut eſt notum per aliud prædicatum extrinſecum, aut certè per effectum extrinſecum. Non primum; quia nullum prædicatum DEO intrinſecum eſt nobis notum per ſe; non ſecundum; quia ſic daretur proceſſus in infinitum. Non tertium; quia aliàs demon-

ſtrando exiſtentiam, per prædicatum, quod eſt notum per effectum extrinſecum, non demonſtrarem exiſtentiam DEI à priori, cùm tota demonſtratio tandem reſolveretur in effectum extrinſecum. Ergo exiſtentia DEI Logica prioritate demonſtrari non poteſt à priori.

Probatur ſecundò. Quoad ſecundam partem. Poſitâ evidentiâ de exiſtentia effectus, & de neceſſaria ejuſdem connexione cum cauſa prima poteſt exiſtentia cauſæ primæ demonſtrari à poſteriori. Sed de facto eſt poſita evidentia de exiſtentia creaturæ, & de neceſſaria ejuſdem connexione cum cauſa prima. Ergo exiſtentia cauſæ primæ demonſtrari ſolùm poteſt à poſteriori.

Probatur tertiò. Si exiſtentia DEI poſſet demonſtrari à priori prioritate Logica, darentur in DEO aliquæ formalitates, quæ præcederent logicè ipſam exiſtentiam; ſed tales non dantur. Ergo exiſtentia DEI nequit demonſtrari à priori prioritate logicâ. Mi: Prob: Talis formalitas eſſet exiſtentia; ſed hæc non eſt. Ergo non datur in DEO ulla

talis

talis formalitas. Min: Prob: Eſſentia realis in ſuo conceptu includit exiſtentiam, tanquam conſtitutivum ſui; ſed conſtitutum non præſupponitur ante conſtitutivum, alioquin præſupponeretur ante ſeipſum. Ergo eſſentia non præſupponitur ante exiſtentiam.

Ad primum Reſp: Diſtingvo Majorem. Nullum bonum Phyſicum reale aut in ſe verè poſſibile, eſt Chymæra Concedo Majorem. Nullum bonum Logicum, objectivum, & apprehenſum eſt Chymæra Nego Majorem, ſic diſtin: Min: & Conſ: Nego Conſequentiam.

Ad ſecundum Reſp: ut antè Diſt: Ant: Habere omnes perfectiones reales, Phyſicas & poſſibiles in re, non eſt Chymæra Concedo Ant: Habere omnes perfectiones ſolùm apprehenſas &c. Nego Antecedens & Conſ: & ſimiliter reſpondendum eſt ad reliquas ſimiles objectiones.

Ad tertium Reſp: Diſtingvo Antecedens: non poteſt exiſtentia DEI demonſtrari ab effectu quoad *quid eſt* Concedo Anteced: quoad *an eſt* Nego Antecedens, & ſic Diſt:

reliqua omnia & Nego Conſequentiam. Eſt ergo DEUS optimus Maximus ejúſque exiſtentia evidenter demonſtrabilis per ea, quæ facta ſunt.

QUÆSTIO L.

An DEUS prædeterminet cauſas ſecundas per aliquam qualitatem Phyſicam, quam prædeterminationem phyſicam appellant?

VIdetur quòd ſic. Primò enim, omne quod movetur ab alio movetur, ergo cauſa ſecunda quæ movetur, movetur à cauſa prima. Ergo præmovetur. Ergo prædeterminatur.

Secundò. A principio indifferente non poteſt ſequi aliqua determinata operatio niſi determinetur ab alio; ſed cauſæ liberæ creatæ ſunt principia indifferentia. Ergo debent prædeterminari.

Tertiò. Cauſa prima determinat ad individuum effectûs, cùm ad hunc vel illum in individuo effectum cauſa ſecunda ſit indifferens; imò nec habeat perfectionem illam individualem, quâ effectus diſtingvitur ab imperfectione ſuæ cauſæ. Ergo cauſa prima prædeterminat.

Reſpondeo dicendum. DEUS non prædeterminat cauſas ſecundas per aliquam qualitatem Phyſicam. Prob: primò. Prædeterminatio determinat voluntatem ad unum, adeóque deſtruit libertatem actûs primi; ſed DEUS non determinat ad unum, neque deſtruit libertatem actûs primi. Ergo DEUS non prædeterminat. Maj: Prob: Prædeterminatio antecedens operationem creaturæ ità eſt connexa cum operatione, ut poſita prædeterminatione non poſſit non ſequi operatio; ſed hoc eſt determinare ad unum, adeóque deſtruere libertatem actûs primi. Ergo prædeterminatio deſtruit libertatem actûs primi. Min: Prob: de eſſentia libertatis in actu primo eſt, ut voluntas habitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere vel non agere; atqui poſita prædetermina-

tione Phyca non poteſt voluntas non agere, ut docent Thomiſtæ. Ergo DEUS non determinat ad unum, neque deſtruit libertatē actûs primi.

Probat: ſecundò. Quidquid neceſſitans ponitur ex parte actûs primi proximi & non eſt in mea poteſtate, nec impedibile à me, deſtruit actum primum liberum; Atqui prædeterminatio Phyſica eſt neceſſitans poſitum ex parte actûs primi proximi, & non in mea poteſtate, nec à me eſt impedibile. Ergo prædeterminatio Phyſica deſtruit actum primum liberum.

Prob: tertiò. Agentia libera habent in ſe vim ſufficientem, ut poſito concurſu DEI in actu primo indifferente ſuo de arbitratu ad agendũ ſe applicent, & pro voluntate operentur vel non operentur. Ergo prædeterminatio Phyſica reſpectu illorum non eſt neceſſaria.

Ad primum itaq; Reſp: explicando axioma cum diſtinctione; Omne quod movetur ab alio movetur, vel efficaciter vel inefficaciter Concedo, tantùm efficaciter Nego.

Ad ſecundum Reſp: Diſt; Maj: à princi-

pio

pio indifferente & impotente ſe determinare ad actum ſecundum, non poteſt ſequi determinata operatio. Concedo Major: à principio indifferente potente ſe ipſum determinare non poteſt ſequi determinata operatio. Nego Majorem & ſic Diſt: Min: Nego Conſequentiam; determinat enim ſeipſum cauſa ſecunda ad actum ſecundum per ipſam ſuam actionem.

Ad tertium Reſp: Nego Conſequentiam. Nam hæc ad individuum determinatio fit ſimultaneè, adeò, ut dum cauſa ſecunda producit perfectiones ſpecificas, cauſa prima producat cum illa eaſdem ſpecificas & ſimul individuales perfectiones.

A. M. D. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX.

Quæſtio I. *An Logica ſit Scientia ex fine intrinſeco practica?* Pag. 1
Quæſtio II. *An Logica ſit neceſſaria ſimpliciter ad alias Scientias?* 5
Quæſtio III. *An detur Univerſale à parte rei?* 9
Quæſtio IV. *An Univerſale, dum prædicatur retineat ſuam Univerſalitatem?* 13
Quæſtio V. *An prædicabile ut ſic dividatur in 5. prædicabilia tanquam genus, &c.* 17
Quæſtio VI. *An ſpecies creata immultiplicabilis poſſit eſſe univerſale?* 20
Quæſtio VII. *An Veritas formalis ſit adæquatè intrinſeca actui vero?* 23
Quæſtio VIII. *An idem actus poſſit eſſe ſimul verus & falſus?* 26
Quæſtio IX. *An aliquis actus poſſit de vero tranſire in falſum, & viciſſim?* 29

INDEX.

Quæſtio X. *An detur determinata Veritas de futuris Contingentibus tum abſolutis tum conditionatis?* 33

Quæſtio XI. *An præmiſſæ bene diſpoſitæ conceſſa, neceſſitent intellectum ad Exercitium Concluſionis?* 36

Quæſtio XII. *An in eodem intellectu poſſit componi ſcientia cum opinione circa idem objectum?* 39

Quæſtio XIII. *An Materia prima habeat propriam exiſtentiam?* 42

Quæſtio XIV. *An Materia prima ſit potentia & appetitus ad omnes formas etiam inæquales & corruptas?* 47

Quæſtio XV. *An unio diſtingvatur ab extremis?* 50

Quæſtio XVI. *An totum diſtingvatur à ſuis Partibus?* 53

Quæſtio XVII. *An Materia prima ſit cauſa extrinſeca formæ, & intrinſeca compoſiti?* 57

Quæſtio XVIII. *An forma ſit cauſa intrinſeca compoſiti? & Materiæ?* 60

Quæſtio XIX. *An introductio formæ novæ ſit cauſa formalis expulſionis, &c?* 64

Quæ-

INDEX.

Quæſtio XX. *An actio ſit Entitas modalis realiter diſtincta à cauſa & effectu?* 77

Quæſtio XXI. *An idem effectus poſſit produci à duplici cauſa totali in actu ſec.?* 82

Quæſtio XXII. *An virtus cauſativa finis conſiſtat in ſola Bonitate finis?* 86

Quæſtio XXIII. *An Corpora exiſtant in loco per ubicationem diſtinctam?* 89

Quæſtio XXIV. *An ſit poſſibilis Replicatio?* 94

Quæſtio XXV. *An Corpora exiſtant in tempore per durationem diſtinctam?* 98

Quæſtio XXVI. *An ſit poſſibile infinitum categorematicum, aut Creatura perfectiſſima?* 102

Quæſtio XXVII. *An ſit poſſibilis creatura æterna, vel creatura creans?* 106

Quæſtio XXVIII. *An continuum componatur ex meris diviſibilibus in infinitum potentià diſtinctis?* 109

Quæſtio XXIX. *An Cœli ſint corruptibiles?* 114

Quæſtio XXX. *An detur Reſolutio uſque ad materiam primam?* 118

Quæſtio XXXI. *An ſubſtantia creata ſit immediatè productiva accidentium in ſubjecto proprio & alieno?* 122

Quæ-

Quæſt. XXXII. *An virtus immediatè productiva ſubſtantiæ ſit ſolùm accidens?* 125
Quæſtio XXXIII. *An qualibet Entitas ſit ſua individuatio?* 129
Quæſtio XXXIV. *An intenſio qualitatum fiat per additionem graduum?* 134
Quæſtio XXXV. *An actio in ſubjectum diſtans abſolutè poſſibilis ſit?* 137
Quæſtio XXXVI. *An agens corruptivum ſimile poſſit agere in paſſum omnino ſimile?* 140
Quæſtio XXXVII. *An rarefactio ſit alteratio?* 143
Quæſtio XXXVIII. *An elementa ſint formaliter in mixtis?* 146
Quæſtio XXXIX. *An Elementa in locis proprijs habeant gravitatem & levitatem?* 149
Quæſtio XXXX. *An Anima rationalis ſit forma informans?* 152
Quæſtio XXXXI. *An anima rationalis ſit immortalis?* 156
Quæſtio XXXXII. *An ſit poſſibilis Diſtinctio formalis ex natura rei?* 160
Quæſtio XXXXIII. *An ſit poſſibilis præ-*

ciſio objectiva Thomiſtica fundata in diſtinctione virtuali intrinſeca? 165
Quæſtio XXXXIV. *An Ens ſit univocum?* 170
Quæſtio XXXXV. *An Terminus ſit pars Relationis prædicamentalis?* 174
Quæſtio XXXXVI. *An Eſſentia in creatis diſtingvatur realiter ab exiſtentia?* 178
Quæſtio XXXXVII. *An ſola Omnipotentia DEI ſit tota poſſibilitas poſſibilium, & impoſſibilitas impoſſibilium?* 182
Quæſtio XXXXVIII. *An cauſa prima concurrat immediatè ad omnes effectus creatos?* 187
Quæſtio XXXXIX. *An exiſtentia DEI ſit demonſtrabilis à priori?* 190
Quæſtio L. *An DEUS prædeterminet cauſas ſecundas per aliquam qualitatẽ Phyſicam, quam determinationem Phyſicam appellant?* 194

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google